


BLASIUS
HOLLERIUS
ARS
MEDICA
THEORICA.








WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Medicę artis Theorica, LIBRIS DVOBVS SVCCINctæ compræhensa, atq; medicinæ Studiosis apprimè necessaria.

BLASIO HOLLERIO VIVARIENsi, Doctore Medico authore.



Anno. M. D. LXV.

AD LECTOREM.

Carolus Kyrningus D.

CErta Machaonias ut semita ferret in artes,
Et medicas iuuenes consequerentur opes:
Hunc tibi confecit lector studiose libellum
Hollerius: Musæ dexteritate suæ.
In quo commemorat uarios ex ordine morbos,
Perdere qui dira corpora tabe queant.
Ostendit sæui quæ sit tibi causa doloris,
Veraq; morborum quæ sit origo docet.
Si nimium calida correptus febre laboras:
Hic, si quæsieris, unde sit orta uides.
Algentes etiam si frigore concutit artus:
Quæ sit causa tuæ frigiditatis habes.
Deniq; quod poterit corpus torquere caducum:
Hic quo profluxit fonte uidere licet.
Ergo precor coëmas librum semperq; reuoluas:
Si te cura tenet corporis ulla tui.
Atq; refer meritas autori candide grates
Lector, qui præsens hoc tibi fecit opus.
Sed uos degeneres procul hinc decedite Momi:
Qui quodcunq; bonum dilaceratis opus.
Si tamen hæc audet, quid enim non Zoilus audet?
Ingenui quisquam carpere scripta uiri:
Tunc sibi cum pueris non rem sciat esse pusillis:
Sed qui uibretur liber Iambus erit.

ILLV.

Illustrissimo do-

MINO, D. IOANNI DE FERRIE-
res: Vidamo Carnutensi, Domino
de Melligny &c. Virtute & do-
ctrina ornatissimo: Domi-
no meo plurimum
colendo.

BLASIVS HOLLERIVS VI-
uariensis. S. P. Opt.



QVI ARTES ET SCIentias colunt Illustrissime Vidame, primo in arce contemplationis: deinde in actione operam impendunt. Sed hanc, nisi contemplandi institutis atque legibus regatur, nutare & plerunque tumultuari periculosa experientia docet. Vtraque compendiose ducta facilius memoriam subit, atque animo constantius inhæret. Neque enim in actione posita, nisi artis fundamenta theoretica præcesserint, sese nobis commu-

nicant. Ob id Philosophi duplicem uitam statuerunt, alteram in intelligentia, alteram in administratione. si quidem nullus ad laudem otio locus dari potest. Primã igitur medicæ artis partem, quæ contemplatiua & speculatiua dicitur, in compendiariam notionem cogere uolui: ut infirma sustineatur memoria, dubia certior fiat, expediatur impedita, lapsa deniq; reuocetur. Atq; ubi Celsitudo tua, Illustriss. Vidame beneuolentia & humanitate plena accessit, ad exprimendũ quicquid hac in parte haberem, animus incaluit: Id'q; sub Celsitatis tuæ beneuolentia & fauore tutelaribus: ne subticerem ac supprimerem, ius illud quòd ad summã æquitatem exigis: & quod in commune bonum agnoscunt, uel infinitæ memorię. Ob id quę ad medicinæ primam cognitionem spectant, summatim perstrinxi: quæ quidem ad altioris fastigij gradum subuexissem, nisi sceleratissimus ille Genius, fortuna dictus, obstitisset. Et adhuc dum singula ad excudendum expenderem, animum habebam adumbratum, contracto tum

nouo

nouo mihi matrimonio. Itaq; si quid intercidérit, quo minus hoc meum tuæ Celsitudini officium probetur, quædam uenia excusationis mihi, ut existimo, dabitur. cum aliàs nihil adeo usq; elimatum, tersum & politum fieri uix potest, quod nõ in calumniam rapiant maleuoli, & asteriscis, unguibus, & graphis seuerissimis uellicent, lacerent & expugnant: atq; alterius cuiusq; operam despectiorem habeant. qui quidem ingeniosi uel abundantes otio, si quid deesse hic uideant, addendũ: aut superesse, resecandum: aut corrigendum permittimus: atq; sua in medium adducant. Nũquam enim me pigebit iusta reprehensione mea agnoscere & meliora reddere. Sed mihi nunc sat est, & præclarè actum puto, si te patronum ac tutorem bonarum artiũ et scientiarum. Illustriss. Vidame, tristi posterorum obliuione in uolui pro uiribus nõ patiar, & posteritati medicinam facere cupienti, subsidio sim. quo altiora & pleniora facilius innotescant, in mediũ adducta: atq; in maiorem ueniãt cõmendationem & usum.

Inferiora tamé quá quæ è penu literaria atq etiã promptuario tuæ eruditionis & iudicij possunt desumi. Ad hęc institutũ illud percupio urgere, q̊d Illustriss. Prin. & Rom. Imp. Electori D. Friderico Comiti Palatino, Christianæ religionis amantissimo promisimus. Si quidé ex eius etiã benignitate fructũ nõ illiberalem, ex nõ ita ualde magna opera, recepi. Peracta, quã dixi, instituta ratione, cognoscere studebo (q̊d antea neglexi) quid sit hominé optimè de se ipso mereri: quãdoquidé uaria lectione hucusq delibutus, futura mihi, nõ prospexi: quo nomine angi, ut opinor, magnopere nõ debeo: Continget fortasse aliquando per occasionẽ, ut hæc mœsta & impedita uitæ ratio, ad certum aliquem statum immutetur, Itaq si beneuolétia bonorũ, cuiusmodi es ipse, magnorũq hominũ, in quorum numero honorificum locũ tenes, nobis sese communicarit, quæ ad multarum ætatũ memoriã perueniãt (si uitã Deus dederit) in publicũ edere animum induxi: uel etiã sub fœlicissimo auspicio Regiæ Maiestatis literarũ bonarũ

peritia

peritia fœliciter instructæ. modo quid tantæ Maiestati dignũ excogitari uel inueniri queat: Et licet multi præstantioris doctrinæ uiri in antecedentium uestigia progrediẽtes, medicæ artis compendia conscripserint, nihil tamen aut illis aut mihi derogatũ existimo, quo studium communi concordia minus suscipiatur. Sed inferiores sunt hi nostri conatus, quã ut tanto Domino adscribi ac dedicari debuissent. Veruntamẽ tantũ apud me potest animi tui candor & Celsitudo, ut ad alia edenda sim propensus, ita me uera illa uirtutum tuarũ constantia incitauit, quam comitantur multæ magnæq; actiones Hæroicę, quas illustri laude celebrarem, si mihi essent sermones, qui Celsitati tuæ probãtur, De tua etiam gratia, quæ mihi fores aperit, non possum satis dignas agere gratias, habere tamẽ possum & habeo quàm maximas. Deus opt. Max. Celsitudinis tuæ mentem ad Aeterni Dei gloriam & Reipub. commoditatem conseruet.

Argentinæ Cal. Maijs, Anno,
M. D. LXIIII.

CONTENTORVM BREuißimus Index.

Causa

Pectus

bis

Vrina-

Vrinæ

FINIS INDICIS.

Errata quædam omissa.

Pag.	192	lin.	13	colore.
Pag.	193	lin.	9	Rhyas.
Pag.	314	lin.	15	nostra ætate.
Pag.	89	lin.	25	exercitium.
Pag.	97	lin.	24	Plenitudinis causa.

MEDICAE ARTIS THEORICA,

Libris duobus succinctè
comprehensa.

ATQVE MEDICINAE STV-
diosis apprimè necessaria.

BLASIO HOLLERIO
Viuariensi, Doctore Medico
Authore.

Medicinæ definitio & partes, interpositis artium generibus, primo hoc capite docentur.



EDICINAM ET ARTEM *Medicam Autores indifferenter usurpant: eamq; uarijs modis definiunt, Hippocrates enim* πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν, *hoc est, adiectionem & subtractionē. ubi quid scilicet deficit, aut exuperat.*

Galenus Herophili secutus definitionem, scientiam salubrium, insalubrium & neutrorum protulit scientiæ uocabulo communiter & non propriæ

B. sumpto.

ſumpto. Quamuis ars & ſcientia eſſe poſſit, ars quidem ratione habituum, quatenus ex ſæpè iteratis actibus naſcitur. Eſt autē habitus qualitas comparata ex crebris actionibus, quæ noſtra aſſuefactione acquiruntur. Scientia uero dicitur ratione cauſarum et concluſionū, circa quarum demonſtrationem uerſatur. Salubria quidem uocat ea, quæ præſentem ſanitatem tuentur reſtituuntq; deperditam: morboſa uerò quæ contraria his ſunt, ueluti lib. de ſectis ad eos qui introducuntur, oſtendit. Auerrhois porro Medicinam artem dixit operatricem ex ueris principijs, experientia, & ratione inuentam. Alij ex ſubiecto & fine definiendam potius iudicarunt: ut ſit ars quæ circa corpora humana uerſatur, ſanitatis effectiua.

Lib. 1. & 6. Collect.

Et quoniam artes diuerſæ ſunt, earum quoq; fines diuerſos eſſe oportet. Aliæ enim rem ſolum animo cernunt, & θεωρητικαὶ à Græcis dicuntur, quæ in ſola natura rerum contemplatione ſuum finem habent, ſine ulla corporis actione: ut eſt Phyſiologia, quæ hominis naturam, corporum generationem, interitum & mutationem oſtendit. Aliæ πρακτικαὶ dicuntur, quæ finem in agendo ſibi ſtatuūt, nihil poſt actionem operis relinquentes, ut Muſica. Aliæ ποιητικαὶ, quæ uel nouū opus aliquod efficiunt, ut ædificatoria, pictoria, fabrilis: aut iam factum, quod deinde uitium fecerit reficiunt, ut medendi ars, &

aliarum

aliarum effectricum. Sunt qui quartam artium differentiam adiungant, utpote κτητικὴν, id est, acquirentem: ut est aucupatoria, piscatoria & uenatoria, quæ magis studio & labore quàm arte comparantur. Sic & Comicus Poëta:

> Quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli.
> Vt animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad uenandum, aut ad Philosophos.

Ex suprà dictis apparet Medicinam ex effectricum esse genere: non quod nouum opus efficiat, sed quia emendat ac reficit quod uitio quodam est deprauatum: sicuti Galenus lib. de constitut. artis med. indicauit.

Medicinæ interea partes ob earum diuersitatem diuersis sunt nominibus appellatæ: nam quæ sanitatis tuendæ præcepta tradit, conseruatricem: & quæ morbos propellit, curatricem: Eam uerò quæ prohibet ne morbi nascantur, iam malè affecto corpore, præcautricem & præseruatricem nominant: sicuti quæ conualescentibus adhibetur, restauratricem.

Medicinam porrò in tres classes seu differentias, uiri quidam celebres digesserunt.

Prima Physiologia dicitur, hæc septem res naturales (quæ corporis nostri constitutionem compactam & absolutam reddunt) indicat. Vt sunt, ele- Res naturales.

menta, Temperamenta, Humores, partes, facultates, actiones & spiritus: de quibus postea.

Res non naturales.

Altera Hygieine, quæ res non naturales docet: quæ quidem administratæ ut decet, corporis naturam incolumem seruare possunt: sin minus, alterare, & sanitatem demoliri. Huiusmodi sunt aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & uigilia, inanitio & repletio, atq; animi affectus.

Res præter naturam.

Tertia Aetiologia nuncupatur, & est rerum quæ præter naturam corporibus nostris insunt: ut morbi causa, morbus & symptoma. Sed cum duplex sit medicæ artis & eius efficaciæ munus: alterum ut sanitatem conseruet: alterum ut profliget præter naturam affectiones: necessum est iam dictis partibus alteram interuenire, quæ signa doceat, alteram uero quæ methodum curatiuam contineat.

Merito igitur primariæ medicinæ partes quinq; Græcis annumerantur: utpote φυσιολογική, ὑγιεινή, αἰτιολογική, σημειωτική, & θεραπευτική.

Phisiologia Theoricæ pars est, qua res naturales continentur. Vniuersam siquidem hominis naturam indagat ac perquirit. De his Galenus lib. de Elementis, Temperamentis, Facultatibus naturalibus: de fœtus formatione, de placitis Hippocratis & Platonis, atq; de usu partium corporis humani sermonem habuit

Hygie-

Hygeine sanitatem tuetur, morbisq; aduenientibus occurrit. Ad hanc partem spectant libri Galeni de sanitate tuenda, de aliment. facultat. de cibis boni & mali succi.

Aetiologia quæ παθολογικὴ etiam à Græcis dicitur, præter naturam causas & symptomata disquirit. Ad hanc referuntur opera Galeni de morborum et symptomatum causis & differentijs, atq; locorum affectorum. Aetiologia,

Simiotice prosperæ & aduersæ ualetudinis signa docet, hoc est, cognitionem præteritorum, inspectionem præsentium & futurorum prædictionem. Hanc partem Hippocrates in progn. & Gal. lib. de crisib. & dieb. decretorijs sunt prosequuti.

Therapeutice medendi rationem ostendit. Hæc in tres partes diuiditur, quas Græci διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν καὶ χειρουργικὴν appellarunt. Διαιτητικὴ, uictus ratione: φαρμακευτικὴ, medicamentis intus & extra corpus admotis, Χειρουργικὴ, manus industria auxilium præstat. Huc pertinent libri Hippocratis de uictus ratione in morbis acutis: Item libri Therapeutices Galeni, & ea quæ Paul. Aeginæta in epitomen contraxit.

DE SECTIS MEDICORVM.
Caput II.

Sectæ Medicorum tres.

MEDICORVM SECTAS, QVAE dogmata, & placita dicũtur, ab initio usq; ad Galeni sæculum tres fuisse legimus. Rationalem, Empiricam & Methodicam. Atq; ab ea, cui astipulantur & consensum præbent, appellationem Medici retinuerunt, ut λογικὴ, hoc est rationalis, ἐμπειρικὴ, quæ sola experientia ducitnr, & μεθοδικὴ, quæ ab effectibus solis curationum indicationem desumit.

Medici rationales.

Porro Medici rationales, qui dogmatici & uerè Methodici dicuntur, omnia ratione et scientia agunt: atq; uniuersam corporis naturam, constitutionem, morborum causas, signa & symptomata, atq; conuenientia remedia inquirunt: nec interea rerum utilium experientiam damnant, sed rationem in obseruatione adhibent, ob id eos meritò sequimur, ut qui ueram ac probabilem doctrinam, eamq; certa Methodo prosequantur. Huius sectæ princeps medicorum Hippocrates author fuit.

Empirici.

Empirici, citra morbi, & eius causæ notitiam obseruationi eorum, quæ frequentissime eueniunt, innituntur. Sperant enim in multis particularibus experiundis, obiter quod conueniat inuentum iri, & fortunæ confidentia ad aliud absq; ratione transiliunt, si primis experimentis non responderit successus. Interea facultatis medicamentorum essentiam non posse

cognosci

cognosci existimant: non secus atq; Sceptici philosophi, quemadmodum Galenus lib 1 simpl: indicauit.

Atq; Empirico sat est, si laborantis particulæ symptomata exposuerit: ueluti tumorem præter naturam renixum & pulsatilem dolorem, & tensionem ruboremúe: aliaq; id genus. imponitq; nonnunquam breuitatis docendæ causa cunctis simul collectis, unū nomen sicuti iam compræhensis phlegmonem, ut Galenus lib. 7 & 13. Method. Med. scriptum reliquit. Huius autem sectæ principatum, Philinius obtinuit.

Dogmatici neglecta experientia solam artis methodum ad expellendos morbos obseruant, curationem interea hominum quodammodo æqualem seu communem iudicant unde causam, ætatem, tempus, regionem consuetudinem, locum, affectum, uirium ægrotantis, seu naturæ seu habitus inspectionem, nullo modo conferre ad indicationem existimant: sed à solis affectibus remedij indicatione petita, curationem auspicantur: aiunt enim id quod est toto genere præter naturam ablationem sui indicare: & quæ luxata sunt (quæ uidelicet loci gratia præter naturam se habent) reponenda in suum locum. Sed id priuatorum cuiq; etiam patet quippe citra artificium membrum quod luxatum est, reduci in artus omnes iubēt: præterea uerrucam tolli, & ulcus ad cicatricem duci, atq; aluum fluentem sisti ipsi tradunt: sed qua ratio-

ne id fieri debeat, incerti sunt: nec nisi in manifestis uersantur. unde suum dogma euidentium cognitionē describūt. Ad hæc omnes morbos ad duo genera contrahi posse autumant: astrictum uidelicet et fluens: et si quod fuerit tertium, ex utroq; mixtum esse uolunt. Huius sectæ principium ex Themisone ductum fuit.

Cæterū Empirici ex obseruatione experimētorum: Methodici uerò ex communi indicatione principij notionem statuunt. Nunc quæ ad huius nostri operis fundamenta pertinent, aggrediamur.

DE ELEMENTIS ET EOrum qualitatibus.

CAP. III.

Elementum quid.

ELEMENTVM IGITVR SIMplex est, & minima corporis alicuius pars Sic & Constantinus philosophus definiuit. ea tantum elementa intelligens, quæ aspectui nostro minimè subijciuntur. Nec enim inferior hic ignis, hic aër, hæc aqua, seu terra simplici qualitate sunt elementa: nec quantitate minima: quare elementa propriè dici non possunt. Sic & Plato unumquodq; inquit, elementum apud nos exiguum est, nec ullo modo syncerum & integrum, minimeq; sua natura dignam uim ferens. Ignis siquidem noster imbecillior est, quam qui

Plato in phileb.

qui in ſuprema mundi regione locatur. Ad eundem modum et reliqua elementa, quorum concordia, mundus, & corpus noſtrũ, ut Empedocles Pythagoreus teſtatur, conſtat: diſcordia uerò diſsipatur. At uerò Galenus nos perſæpè uti elementis uniuerſalibus uel ſynceris, lib. 1. Element. teſtatur. Sicuti aqua, quotidie dum bibimus aut lauamur, & aëre qui nos undique ambit, dum illum in ſpirando attrahimus: igne etiam dum frigemus, ut calcamus utimur: uerum hoc loco de communioribus & minime ſynceris eum intellexiſſe mihi uerißimè uidetur: cum haud dubie profitendum inſtituat, ex terra, aqua, aëre et igne, tum ſtirpes, tum animalia cuncta gigni, ali, atq; incrementum ſuſcipere. At uera elementa non nutriunt, nec ullam guſtui qualitatem offerunt, ſicuti etiam lib. 4. de ſimpl. Medic: facult. teſtatur. In ipſis quidem ſolis, ſummas qualitates reperies, absq; ulla mixtura aut temperie. Etenim in igne ſummam caliditatem & ſiccitatem: in reliquis etiam reliquas qualitates prout ſui cuiusq; natura poſtulat. Sunt qui tria elemẽta tantum adnumerent, aërem, aquam & terram. Ignem uerò elementum eſſe negant propter immenſam caliditatem: ſic et res frigidißimas elementa dici nolunt. At Galenus ſola elementa prorſus calida, aut frigida eſſe dixit, & quicquid præter hæc cœperimus ex his mixta eſſe tradit. Itaq; non amplius abſoluta ratione ſyn- Elementa non nutriunt.

cera, & à mistione aliena reliqua quæuis calida aut frigida dicuntur.

Elementa a principiis differunt.

Quo pacto aut à principijs elementa differant, lib. primo elementorum Galenus ostendit. Elementum, inquit, à principio in hoc differt, quod minimè sit necesse principia in eodem esse genere cum eis, quorum sunt principia. Elementa quidẽ ad idem semper genus pertinent. Simplex namq; qualitas compositæ, & simplex corpus, corporis compositi est elementum. Rursus ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. Nec enim esset hoc principium quod generetur aliunde. Atq; si semel extingueretur, nec ipsum ab alio renasceretur, nec ex se aliud curaret. Ad hæc elementorum numerus humoribus quatuor adæquatur: ita ut singula elementa singulis humoribus qualitate correspondeant: ut ignis, calidus & siccus cum sit, eiusdem naturæ humorem in corpore refert, utpote bilem flauam. Sic aër inferior sanguinis, & aqua pituitæ, atq; terra melancholiæ qualitates obtinent.

Quotiescunq; igitur aliquam uiderimus particulam frigidam siccam et densam, ea satis sit ad terram memoriæ concipiendam. Satis etiam si humidum aliquid conspeximus rarum & fluens, ad contemplandam mente aquam. Calor quoq; animantis ignem nobis representabit: sicuti spiritus aërem in primis, ac subinde

binde ignem. Quatuor igitur humores nobis insunt, elementa in corporibus dicti, ex alimentorum interuentu: sanguis uidelicet, pituita, bilis tum flaua, tum atra. atq; moderata omnibus quatuor elementis temperies, ipsos conquiescere & minime morbosos fieri necesse est, unde & sanum corpus ab Hippocrate est dictum, cum mediocriter & uirtute & copia ipsa inter se elementa habuerit. Contra uerò corpus dolere sentitur, cum aliquid minus aut maius fuerit: aut dum ab alijs semotum, unum aliquod in alienum quendã locum transcurrit. Sic Plato Hippocratem secutus, Quum enim, inquit, ex terra, igni, aqua, & aëre, compactum sit corpus, horum præter naturam excesus, defectusuè, & ex eo loco proprio in alienum translati humores, seditiones ac morbos procreant.

Humores quatuor corporei ex alimentorũ interuentu.

Elementa igitur quatuor numero, etiã Metaphysicis habentur: ueluti essentia, esse, uirtus & actio. Quatuor Mathematicis: signum, linea, planum, pullulatio naturalis seu adulta forma. Sic & philosophis & medicis quatuor esse communis opinio tenet. Ignis, aër, aqua, & terra. Ex quorum mixtura, sed impari, (ut in nostris Comment: in lib. de nat. hum. secundum Hippocrat: etiam diximus) omnia generantur ac fiunt, atq; ipsorum naturas & qualitates sua cuiusq; essentia prodit. Elementorum porro aliæ sunt qualitates ab his quas diximus, uirium tamen inferiorum,

Elementa quatuor.

Elementorum secundæ qualitates.

feriorum, ut tenuitas, raritas, ſplendor, leuitas, perſpicuitas: & his contrariæ, craſsities, denſitas, obſcuritas, grauitas, oppacitas.

Interea primas ſummasq́; ipſorum elementorum qualitates uocamus, quibus efficaciſsima uis ineſt, ut igni caliditas, & terræ ſiccitas. Nam ſumma aëris & aquæ qualitas, etiam doctis ambigitur. Alijs ſiquidem ſummam humiditatem aëri, & frigiditatem aquæ: alij è conuerſo tribuunt. Galenus & Ariſtoteles nunc hos, nunc illos imitantur. Sed Stoicis aer frigidus eſt. contra uero Ariſtoteli calidus magis cenſetur.

Ad hæc inter elementa quædam ſibi mutuo communicant, ut ignis & aër, in calido: Ignis & terra in ſicco: aer & aqua in humido: aqua & terra in frigido. Quædam ſecundum utramq; qualitatem aduerſantur, ut ignis & aqua, terra & aer. At conuenientium facilior eſt tranſitus, ut ex igni in aerem ſola humiditate ſuperante. ex his, duo ſurſum naturaliter tendunt, ignis et aer: alia duo deorſum ferũtur, aqua et terra: quò fit ut nõ congrediantur et multò minus miſceantur. Porro aer hic infimus & nobis circumfuſus, modo calefacit, modo refrigerat, modo humectat, modo exiccat, pro uaria regionum, partium anni, & præſentis ſtatus temperatura. Sed qui ſupremam regionem obtinet, calidum eſſe neceſſe eſt, propter ignis uicinitatem & motum continuum, & hic

elemen=

elementum proprie dicitur, ut qui ſponte non corrumpatur, nec pabulo indigeat, nec euagetur: ſed certam ſedem ſeruans, ut ad generationem ſit aptus. Qui uero mediam regionem habet, eum frigidißimũ eſſe demonſtrant mixta imperfecta, in eo concretione genita: nubes, nix, grando, pluuia & huiuſmodi. Veruntamen aer ipſe in omnem exceſſum eſt alterabilis, non ſua quidem natura, ſed ex accidente, uaporibus ſcilicet (qui humores ſunt extenuati) ex aqua in eum elatis. Eſt itaq; aer igni proximus præ alijs elementis, unde eadem natura utriq; propemodum ineſſe uidetur. Ambo ſiquidem caliditatis, tenuitatis, raritatis, leuitatis, ſplendoris, & perſpicuitatis ſunt participes. Ignis tamen longe actuoſior, imò omnium elementorum efficacißimus, qui quidem in ſummo calefacit, poſtea exiccat. Eſtq; tota ſubſtantia & qualitatibus primis aquæ contrarius: ſicuti terræ quatenus craſſa, denſa, grauis, & opaca. Interea tradunt ſibi naturaliter elementa mutuas operas: nam terra aquæ beneficio in formam quamlibet redditur habilior. Ignis & aeris raritatem, leuitatem & tenuitatem: aquæ & terræ denſitas, grauitas & craßities remorantur. Terræ & ignis ſiccitas, aquæ & aeris humiditate corriguntur. Similiter ignis caliditas, & interdum aeris: aquæ & terræ frigiditate temperantur. Sic de opacitate, ſplendore, & reliquis.

Vapores quid.

Cæterum

Cæterum aqua supra id quod refrigerat, humidißima est. Hæc enim siue feruens sit, siue refrigerata, nunquam humectandi facultatem deponit. Sicuti Galenus lib. 1. simpl. & in comment. de nat. hum. testatur. Postremo terra quam cætera elementa circumcurrunt, ut illi fœcunditatem adferant, tanquam suspensa, sed fixa tamen ac immobilis manet: ne si huc uel illuc declinet, sursum deorsumúe feratur, partium ordo confundatur. Primo exiccat, deinde refrigerandi facultatem obtinet. estq; solidißima: contra uerò ignis & aër tenuißimi: aqua inter hæc media. Nunc ad elementorum commixtiones, quæ temperamenta dicuntur, accedamus.

DE TEMPERAMENTIS SEV *quatuor qualitatum commixtionibus.*

CAP. IIII.

Temperamentum.

COMMIXTIO ELEMENTOrum, seu quatuor qualitatũ cõmunio, temperamentum dicitur: Cuius differentiæ nouem à Medicis sunt institutæ: una quidem temperata, quæ græcis εὐκρασία dicitur: octo intemperatæ: utpote, quatuor simplices, calidũ, frigidũ, humidum, & siccum, quæ quidem suapte natura & primario: aut aduenti-

aduentitia qualitate seu accidente sumuntur: Et quatuor ex his compositæ, calidum & humidum, calidum & siccum, frigidum et humidum, frigidum & siccum. Porrò quæ propria natura calida, aut frigida aut humida, aut sicca dicuntur (talia enim sunt quæ ab initio ad finem usque suam facultatem seruant) quædam actu seu energia: idq; uel absolutè, ut elementa uel excessu ut homo & alia quæuis animalia. Cum autẽ inter res eiusdem generis speciei fit comparatio, ut homo ætate florens, est puero calidior, tunc non ad excessum propriè, sed ad symmetriam eiusmodi comparatio dicitur, quemadmodum Galenus ostendit. Quin etiam ex animantibus ipsis inter se collatis, canis quidem est siccior, homo autem humidior, sed formicæ et apes his omnibus sunt cicciores: Sic & Leo quouis homine calidior. Cæterũ temperata dicuntur, uel ad pondus, hoc est exquisita, & ad æqualem temperiem sine ullo qualitatum excessu, quæ quidem cogitatione uerius, quàm ratione discuntur. Talia potißimum sunt, cuius internæ manus & frontis, atque digitorũ summitas: Vel ad iustitiam, hoc est, conuenientem & idoneam temperaturam, ad obeundas functiones à natura institutas, ut cerebrum ad iustitiam, temperatum dicetur, si quatuor qualitatibus non absolutè, sed pro sua natura probe ualeat. Id quidem cognoscetur ex commoderata excrementorum deiectione,

Gal. lib. 1. simpl. cap. 1.

ctione, & quando à calidis, frigidis, humidis & siccis non læditur. Sicuti Galenus libro in quo totam artem summatim perstrinxit, fecit manifestum.

Temperatum duplex.

Temperatum igitur duplex est, absolutè seu simpliciter, hoc est, respectu totius naturæ: & in singulis generibus, in quo uidelicet elementorum contrarietas mediocris existit. unde considerare oportet temperaturæ æqualitatem omnibus temperatis animalibus & plantis non eam esse, quæ ab æquali contrariorum mixtione constat, sed quæ pro sua natura probe suo munere fungitur. Ad hunc modum aliquid temperatum dicimus, etiamsi ab æqualitate parum recesserit. ut aërem nobis circumfusum temperatum dicimus, etiamsi in alterutram partem paululum sit propensus. Præterea ex primis qualitatibus aliæ nascuntur: nempe mollicies, duricies, gracilitas & crassities: In quarum corpus ueluti medio constitutum est, quod εὔσαρκον Græci, nos quadratum dicimus. ex quo mediocritatem inter cunctabundum & præcipitem, audacem & timidum, misericordem & inuidum obseruamus. Item prudentia, humanitas, affabilitas, amicitia & huiusmodi, optimæ temperaturæ sunt inditia.

Intemperata quæ dicuntur.

At uero quæ mediocritatem in corporibus transcendunt, intemperata dicuntur, & ab eo contrariorum quod exuperat, sortiuntur appellationem. ut calidum, frigidum, humidum siccum, à calidi, frigidi, humidi,

midi, ſicci cæteras qualitates exuperantis dominio. Adhæc calor concoquit, & reſoluit humores: frigus pituitæ concoctionem ac reſolutionem digeſtionemq; impedit: humiditas materiam ſuggerit, quam ſiccitas depaſcitur & aſſumit. Et ubi calidum per ſe magis cum ſicco in nobis abundat, aduſto ſanguine bilem utramq; gignit. Hinc corporis habitus gracilis, hirſutus & nigrior. Si uero frigidum magis cum humido exuperet, pituitam procreat, quæ morbos ut plurimum magnos, pro intemperatura, accerſit. Porrò quæcunq; partes cute ſunt duriores, ueluti oſſa, carthilagines, pili, ungues, ligamenta, ungulæ, cornua, calcaria: in his ſiccum præualet: Quæcunq; uerò molliores, ſicuti ſanguis, pituita, ſeuum, adeps, cerebrum, medulla, tum ſpinalis tum altera: in his humidi plus eſt quam ſicci. Temperamentum quod ſanis ineſt, primo ſimplex, optimum & ex actiſsimum eſt ſine latitudine. Secundo medium nulli uitio quod ſaltem ſenſu percipiatur, obnoxium. Tertio intemperatum, & nociuum, de quo ex poſtulari liceat, magis aut minus pro uarietate receſſus à medio. Conſiderandum ſemper temperamenta ſimilibus conſeruari: alterari uerò contrarijs, ut Galenus lib. 6. Sanit. tuend. indicauit.

Temperamentum in ſanis.

Huc etiam pertinent anni partes & ætatū ratio. Annus ſiquidem quatuor partibus conſtat, uere, æſtate, au-

Anni partes quatuor.

te, autumno & hyeme. Ver (in quo sanguinis moles augetur) omnis excessus est in medio, unde temperatum dicitur: tametsi pars quæ hyemi est proxima frigidior quàm æstati percipiatur. Aestas calida & sicca cum sit, bilem flauam procreat. Autumnus inæqualis: aliàs frigidus & siccus, sed non absolute, in quo citius Melancholia gignitur. Hyems frigida & humida, in qua pituitosius humor aceruatur.

Aetates.

Aetates præterea alij quatuor, pueritiam, pubertatem, iuuentutem & senectam. Alij sex: quidam septem esse dixerunt, sicuti in nostris comment: super Hippocrat. Aphoris. indicauimus. Pueritia calida est & humida, unde magnum præ cæteris ætatibus augmentum suscipit. Est enim mortalibus ex calido & humido, nempe uiri & mulieris semine, & sanguine menstruo propagata soboles. Pubertas media & optima est ætas, sub qua comprehenditur adolescentia, Iuuentus quæ florens & uirilis ætas atq; consistendi tempus nuncupatur, calida est & sicca. Porro qui calidiori sunt temperamento, siue naturali, siue acquisito, ij animosi sunt, & ad actiones plus quam expediat prompti. quemadmodum Galenus lib. 2. sanit. tuend. scriptum reliquit. Atq; calidis & siccis naturis siue à primo ortu, siue proprio, ut dixi, temperamento, siue à uictus ratione, immodico exercitio, uigilia, perturbationibus, loco & cæli statu calido &

Aph. xiij. lib. j.

Animosi qui & nimis ad actiones prompti.

do &

do & sicco aduersißima est inedia ac febrium paratißima causa. Præterea senectus frigida est & sicca: contra uerò puerorum ætas calida & humida, ut iam diximus. Ad hæc calor qui pueris inest à calore iuuenū differt, quod ille multus, suauis, & magis halituosus: hic uero exiguus, siccus & minus suauis percipitur. At senes frigidi & sicci proprijs sunt particulis, humidi tamen respectu excrementorum quibus abundant. Horum etenim oculi lachrymis suffunduntur, tum nares distillatione manant, tum in ore illorū saliuæ copia exuperat: tußiunt, pituitam excreant, pulmones ac uentrem hoc humore esse refertos ostenditur: tum etiam singuli articuli quodammodo muscosi sunt: nec tamen horum quicquam prohibet quin senum corpora iuuenum corporibus sicciora censeantur: sicuti Galenus lib. 2. Temp. indicauit. Porro senes nec probe concoquunt ob caloris penuriam, nec probè nutriuntur: partim ob siccitatem: partim ob alteratricis facultatis imbecillitatē.

Nunc de secundis qualitatib. quæ ex primarū temperatura seu mixtione gignuntur. Harum prima uisibilis dicitur, cui albedo, nigredo, rubor & cæterij colores subiacent. nam de singulis colorum differentijs (in quibus calida, frigida, humida & sicca reperiuntur) hic meminisse superuacaneum uideretur. In lapillis etiam ut physicis placet, temperatißima quatu

Qualitates secundæ, unde fiant.

or elementorum permixtio quædam interior, nitorem parit exteriorem, sic in hominibus, alijsq; animalibus ex humorum complexione, iucundam lineamentorum & colorum speciem procreat. Similiter herbas & arbores innata radicibus & medullis fœcunditas, florum & foliorum gratissima uestit uarietate. Interna igitur perfectio externam procreat decentiam, siue ad corpus, siue ad animum referatur. Altera gustatilis cui dulcedo, amaritudo, austeritas, acerbitas, aciditas, salsedo, acrimonia, subijciuntur. Tertia tactilis, cui caliditas, frigiditas, durities, mollities. Iudicandæ igitur sunt differentiæ huiusmodi & similes sensu, cui subiectæ sunt, Vt ex lib. 1. simpl. Galeni facile innotescit. Hactenus pro compendij exigentia de temperamentis egimus, nunc de intemperie, quæ in toto corpore, uel eius partibus fit, paucula subijciam.

DE INTEMPERIE CAP. V.

Intemperiei Differentiæ.

INTEMPERIEI IGITUR quatuor sunt differentiæ. Prima ipsius functionis læsæ, Altera eius, qui hanc peperit, affectus. Tertia causarum quæ ipsum præcesserunt affectum. Quarta symptomatum quæ hanc necessario sequuntur. Cum enim in corpore quopiam sentiendi ui prædito, inæ-

dito inæqualitas quædam suboritur, quanta fuerit intemperantiæ magnitudo, tanta erit & molestia. quemadmodum Galenus lib 2. de sympt. caus. ostendit. Porro partes quæ simplici intemperatura, nempe calida, frigida, humida uel sicca, afficiuntur (id enim fit natura uel accidente) aut sunt principes, ut cor, hepar, cerebrum, testes, uentriculus: aut non principes, ut partes similares & organicæ, atq; hæc simplex intemperies dicitur, quæ quidem diu permanere non potest, sed necessario sibi alteram statim asciscit, atq; æqualis & sine materia dicitur, quæ morbis minimè est obnoxia. Quinetiam Galenus lib. 6. de sanit. tuend. æqualem intemperiem esse dixit, qua omnes corporis partes (sed absq; dolore) afficiuntur: inæqualem uerò, quando in diuersis partibus differentes sunt intemperaturæ, qua ratione corpus illud intemperatum dicimus, cui cerebrum, uel Hepar, aut pars quædam alia, calida uel frigida existit. Quod autem æqualis intemperies nullo penitus dolore cruciet, per hecticas febres, & complures frigidos affectus declaratur, ubi æqualiter particula quasdam occupant. Altera intemperies fit per coniugationem quæ & composita dicitur. Hæc inæqualis est, morbosa, & cum materia quæ nonnunquam contraria qualitate corpus exagitat. demũ omnis intemperies, si uehemens fuerit, uires deijcit, quod si exempli causa frigus

ſa frigus uicerit, frigidos affectus efficiet, iuxta exceſſus intemperantiam, eritq; cuilibet ita affecto ueluti acquiſititia quædam natura: nullum ſiquidem corpus à ſua ipſius natura tale afficitur. Cæterum octo intemperantias eſſe Galenus lib. 8. de comp. Med. ſecundum locos indicauit. Atq; hæ omnes aut ſecundum ſimplices et nudas qualitates gignuntur, aut accedente alicuius humoris complexu. Si enim ex primis quatuor qualitatibus inter ſe iuſta quadam ratione mixtis confuſisq; elementis temperies oritur, neceſſe eſt octo omnino qualitatum exceſſu morbos in hoc genere excitari: ſimplices quatuor, ſingulis qualitatibus exuperantibus: totidem compoſitos, uictis inter ſe duabus qualitatibus excedentibus calore & frigore, cum humore & ſiccitate. Harum interea ſingulæ per contrarias qualitates, ſunt ad mediocritatem reducendæ. Ex his omnibus quæ humida eſt, quomodocunq; accidat, facillime curari poſſe Gal. lib. ſept. Meth. explicauit. Duplicem igitur intemperiem eſſe, uel ex his quæ idem lib. ſecundo Temp. ſcripſit cognoſcimus. quarum alteram intra ſanitatem dicit conſiſtere: cuius ſufficiens nota erit, quando nulla animalis functio manifeſtè adhuc eſt oblæſa: alteram uerò morbi intemperiem nuncupauit, quæ à media temperie quam longiſſime abeſt. Inprimis itaq; & omnium maxime officit facultati, quicquid in intemperie eſt, quam

Intemperantiæ octo.

quam morbum semper Galenus esse dixit. Neq; alia de causa potest intemperies primorũ esse morborum causa, nisi quod commoda temperies fuerit corrupta. Porrò intemperies calida & humida à sanguine excitatur: calida & sicca à bile, seroso humore, & pituita salsa: frigida & humida, à pituita: frigida & sicca à melancholia. Omnis igitur intemperies fit ex iam dictis humoribus dum excedunt. sicuti ex quatuor qualitatibus præter naturam auctis. ut dum corpus immodica exercitatione calefit, aucto calore etiam exiccat. Ad eundem modum animi perturbationes, præsertim in ijs quorum uitalis facultas est imbecillis, & corpus infirmum atq; ad dissolutionem propter mollitiem & raritatem expositum. Gal. lib. de simpt. diff.

DE HVMORIBVS, QVI materia sunt generationis.

CAP. VI.

ANIMANTIA SANGVINE PRAEdita quatuor humoribus, tanquàm elementis constare omnibus receptum est. Sanguine pituita, atq; bile, tum flaua tum atra. Et quamdiu legibus conueniens est ipsorum constitutio, ex qua sanitas integra manet, eam conseruare, & nullis uacuationum generibus demolliri conuenit: Si uero inui-

cem cõmoueantur ac sese uellicent, exoriuntur morbi. Porrò humores non in cibis, sed earum generatio intra corpus peragitur: tametsi assumptorum qualitate & quantitate, calidi frigidiue humores ipsi generantur. Sanguis itaq; naturalis ex quatuor succorum naturalium æquabilitate consurgit, non ut parem habeat omnium in mixtura portionem, sed pro ratione cuiq; conuenientem. Hic syncerus, dulcis, ruber & mediocris substantiæ existit. Si uero alterius cuiuspiã uitiosi succi commixtione inficiatur uincaturq;, non naturalis appellabitur: et hic inutilis est corpori alendo, unde pars quædam tenuior in cholerã, crassior uero in melancholiam sæpissimè transit. Quo tandẽ humore sanguis inficiatur, id serum ostendit. Si enim sanguis biliosus sit, serum quoq; biliosum erit, & sic de alijs humoribus iudicandũ. At hæc naturali sanguine quisquis abundat, moderatior, affabilior, simpliciorq; conspicitur. Præterea hic humor in uenis atq; arterijs ab heppate includitur, rubeus magis in uenis: flauior, tenuior & uaporosior in arterijs, ut etiã Galenus lib. de atra bile, & lib. 4. de usu part. Sed dum præter naturã adest, tum fiunt febres synochi, phlegmones, gangrinæ, dothiones, & huiusmodi. De quibus in tertia de curandis morbis particula diximus. Diffunditur quidem hic succus per uniuersas corporis partes, ut eas nutriat, ac refocillet: Pituita suapte

Sanguis naturalis quales efficiat.

natura

natura frigida & humida, albiq; coloris existit, atq; qualitatis expers ut aqua. gignitur in uentriculo & intestinis ex cibis pituitosis seu phlegmaticis in prima concoctione: & in sanguinem mutatur per secundam digestionem, quæ fit in Hepate. *Porrò naturalis pituita dulcis & benigna est, cui sedes propria nulla attribuitur, nam omnia membra hoc humore sicut sanguine indigent. Etenim iuncturas nutrit & membra quæ multum mouentur, humectat, ne propter calorem qui prouenit ex motu exiccentur. At pituita quæ in uenis est Galeni consilio euacuatione non indiget. Interea pituitæ quatuor species lib. 2. de diff. feb. statuit, quarum prima admodum frigida est, quæ uitrea dicitur, eò quod tum colore, tum substantia, uitro eliquato similis sit, quæ quidem si in locum calidum irrepserit, grauißimos inferre solet dolores: Si uero in colum intestinum delabatur, colicam procreat paßionem. Atq; acrij clysmate tali humore euacuato statim sedatur affectus. Praxagoras uitreum phlegma eum uocat, quando uidelicet succus crudus cum lentore adest, quemadmodum Galenus lib. 4. sanit. tuend demonstrauit. Altera pituitæ, siue phlegmatis species seu differentia ea est quæ ab excreantibus sæpè exspuitur, & à sensibili dulcedine quam obtinet, dulcis & nullo modo frigida nuncupatur. Tertia est quæ inter exspuendum acida sentitur, minus*

Lib. ij. faculta natu.

quam uitrea, magis quam dulcis, frigida: quæ si abundet appetentiam, ob humoris crudi frigidiq; uitium, deprauatam excitat. quæ quidem si modum excesserit, canina dicetur. Quarta species falsa dicitur, quæ aut ob putrefactionem aut permistionem falsæ serosæq; humiditatis efficitur, sitibundosq; reddit. Siquidem biliosi humores uentriculum calefaciunt & exiccant, unde sitis, quæ si immoderata sit in tunicis uentriculi, uitiatos esse necessum est. Et qui ab hoc humore febricitant, non rigent sed præhendente accessione tantummodo horrent. Tandem putrescens in uenis pituita, aßiduam febrẽ in corporis habitu procreat. Citra putredinem uero aquam intercutem quæ λευκοφλεγματία dicitur: Si uero in partem aliquam corporis pituita tenuis & uaporosa defluxerit, œdema. ita enim appellant tumorem lassum, & doloris expertem. Sicuti etiam in libro quem de morborum curationibus edidimus, est ostensum. At in cute & subiecta carne pituita uitiliginem albam gignit. Similiter serosa substantia pituita est, quæ si in habitu corporis citra putredinem redundet, eam intercutis speciẽ quæ ἀσκυτὴς uocatur, generare solet. Et si extra uasa putruerit, febrem interpolatam: si uerò in uenis continuam, ut iam dixi, procreat. In cute porrò phlyctenas, hoc est pustulas, nec non pruritum excitabit. Ita accidit in quibus singula ex=

Gal. lib. de plenitud.

gula ex=

gula excrementa redundant. Cæterum pituita naturalis, segnes, somnolentos, cogitabundos, meticulosos, carnosos, cito canescentes reddit. Et qui in otio degunt, pituitosum succum colligere solent. Omnis igitur pituitosus humor dulcis est, seu qualitatis expers, acidus uel salsus, crassus, uiscidus, aut dißipatu facilis, quemadmodum Galenus lib. 1. aliment. facult. ostendit. Bilis flaua quæ pallida & amara dicitur calida est, & sicca quantumuis aspectu humida sit, & ex sanguinis feruore generatur, atq; ignis proprietatem remisse obtinet, nec solum in iocinore, uerumetiam in toto uenoso corpore procreatur. Quæ si naturalis sit est ueluti sanguinis spuma, cuius color rubeus & clarus apparet, fitq; ualentior calore extrinsecus adueniente. Est & altera bilis flaua quæ non naturalis dicitur, quando scilicet alteri alicui humori admiscetur, sicuti phlegmati. quod si fuerit subtile, tum bilis ipsa citrina dicetur, quæ amara est. Si uero tale phlegma crassum fuerit, uitellina quæ à flaua bile incrassante progignitur. quemadmodum palida aqueam quandam substantiam accipiente, Vt in 6. Epid. Galenus, & lib. 2. facult. natural. indicauit. Bilem uitellinam ita nominant eò quod ouorum uitellis, tum colore, tum craßitie sit adsimilis. Hæc in exitiosis morbis porracea fit: & ex hac æruginosa: ex qua deinde cærulea: quæ cum ad extremũ torretur, tum de-

Pituita naturalis.

Bilis flaua naturalis

Bilis flaua non naturalis.

Bilis uitellina.

tum demum in atram bilem conuertitur. Præterea bilis siue pallida siue uitellina, in uasis generatur. Praxina uero quæ & porracea dicitur, in uentriculo ex ciborum corruptela & alimentorū cruditate, sicuti ex betis, cæpis, braßicis & huiusmodi. Porrò flauæ bilis multitudo (cuius linguæ amarulentia indicium est) si in uenis putrescat, ardentes febres: si per uniuersum corporis habitum transfusa sit citra putredinem, regium morbum, Græci ἴκτερον nuncupant, gignit: cum putredine uerò febrem tertianam. Quod si parte aliqua congesta sit, herpetem. Insuper bilis facit iracundos, ingeniosos, acutos, leues, macilentos, optimè concoquentes. & ex abundantia sitim & nauseam prouocat. At quos multus labor exercet, ij biliosum uel melancholicū humorē, illum æstate, hunc autumna generare solent. quemadmodū Gal. lib. 4. sanit. tuend. docuit. In summa biliose intemperantiæ fere magna comes est corporis extenuatio.

Bilis praxina.

Bilis atra frigida est & sicca, terræ naturā obtinens, ex sanguine crasso & adusto. Augetur in florente ætate, quæ uigori succedit, & in ea sanguis torretur, ac uritur. proinde bilis atræ copia accumulatur, & in autumno potißimum exuperat: quæ duplex est, naturalis utpote inculpati sanguinis fex seu residentia: non naturalis uerò sanguinis boni redundantia: cuius sapor est acris & asper. Recipitur in liene, cui alimoniam præ-

Bilis atra.

niam præbet. Sciendumque tamen si bilis atra in uenoso genere putrescat, febrem acciduam gignit, si in corporis habitũ transmissa sit, & citra putredinem, tum Elephantiasin procreat: Si uerò cum putredine, febrem quartanam. Quod si in parte aliqua corporis collectus sit hic humor, carcinoma: si in cute & subiecta carne, nigram uitiligniem generat. Demum bilis atra subdoles, tacite iracundos, tristes, timidos, auaros, & perfidos reddit: Stomachi tamen actiones adiuuat, ut quæ appetitum excitet, si acri exuperet qualitate. Sed quando dysenteriam excitat, ex Hippocratis sententia mortifera est. Ex bile uerò flaua non omnino lethalis: pleriq; enim ex ea seruantur. Hæc de humoribus, quorum gratia animalia quæq; constant, breuiter sumus prosecuti. quiquidem uiscosi craßiúe præter modum si fuerint, minime uacuandi, donec fluidos, hoc est, tenues fecerimus, & nullius lentoris participes, meatusq; per quos purgatio futura est ad apertos, sicuti Gal. in lib. quos purgare oporteat demonstrauit.

Aph. xxiiii. lib. iiii.

DE PARTIBVS SEV MEMbris corporis humani.

CAP. VII.

NVNC CORPORIS HVMAni (cuius sanguis & genitale semen primordia

dla sunt) partes saltem præcipuas, & huic instituto necessarias recenseamus. Harum enim notitia ad ualetudinem & mores plurimum confert. Itaq; partium corporis humani figuram, numerum, situm, & actiones cognoscere oportet. Partes autem quædam sunt similares, & quædam dißimulares seu organicæ. Similares porrò quæ Græcis ὁμοιομερεῖς dicuntur, sunt quæ in similes sibi partes diuiduntur, & separatæ retinent nomen totius, Vt quælibet pars oßis, cartilaginis, carnis simplicis, sanguinis & reliquorum humorum, appellationem totius retinebit. dicuntur etiam primariæ & simplices partes, seu corpora simplicia. Organicæ uerò, quæ Græcis ἑτερογενῆ dicuntur, ex similaribus constant, & totum corpus componunt ac constituunt: Vt sunt caput, thorax, uenter, humerus, brachia, manus, digiti, pedes, & id genus reliqua: quorum partes dissectæ ac separatæ minimè totius partis nomen retinent. Hæ partes compositæ & instrumentales etiam dicuntur, siquidem instrumentum est quod actionẽ perfectam potest edere, ut oculus uisionem, crus incessum, lingua loquelam: sicuti Galenus lib. 1. Meth. Med. demonstrauit. Ad eundem modum musculi & nerui, tum instrumenta tum partes animalis sunt. Cornea uero & tunica rhagoides, & arechnoides atq; huiusmodi oculorum particulæ sunt, non autem instrumentum. Porrò partium si-

Corporis humani partes duplices.

Instrumentum in corpore quid.

tium similarium duplex est differentia, alia cuius uniuersæ particulæ eiusdem sunt speciei, & in diuersarum specierum partes diuidi non possunt. Hæ quidem sunt primæ & ueræ similares, quas Galenus prima & simplicißima hominis elementa uocauit, cuiusmodi sunt caro, os, adeps, cartilago, neruus, ligamentum, fibræ, membranæ, cutis, unguis, medulla, & id genus. Altera earum est partium, quæ similares & simplices sensus iudicio dicuntur, quæ in diuersæ speciei particulas diuidi possunt: ut sunt uenæ & arteriæ, quæ ueræ simplices & similares non sunt, quæ quidem ex fibris & membranis teste Galeno, sunt conditæ. Ex instrumentarijs seu organicis partibus (quarum sanitas in figura, numero, magnitudine, compositione similarium consistit) quatuor sunt præcipuæ & ueluti fontes uirtutum nostrum corpus regentium: cerebrum, cor, iecur, & testes: quibus tanquã præsidibus aliæ quædam partes famulantur, sicuti nerui cerebro, arteriæ cordi, uenæ iecori & uasa seminaria testibus. Hinc cerebrum animalem, cor uitalem, iecur naturalem, testes genitricem uim obtinere medici censuerunt. Sunt & aliæ partes quæ ui quadam à principijs mutuata seipsas gubernant, ueluti uenter, intestina, lien, renes: Aliæ sunt quæ nec regunt, nec reguntur ab alijs, sed insitam uirtutem habent: ut membranæ, pinguedo, glandulæ, os, caro sim-

Partium similarium duplex differentia.

caro simplex, ligamenta, cartilago: Aliæ neq; quicquam suggerunt, neq; ab alijs mutuantur, neq; ex se ingenitas uires habent: sed solũ generantur, & concrescunt, non quidem in omnem dimensionem, ut reliquæ corporis partes, sed in longitudinem duntaxat, ut sunt pili, & ungues: Aliæ porro ingenitas simul & aduentitias uires habent, cuiusmodi reliquæ omnes corporis partes, non secus atq; uentriculus, renes, lien, uterus. Postremo cerebrum, cor, iecur, testes, caro, tum simplex, tum composita, & reliquæ uniuersi corporis partes, alimentum trahendi, continendi, concoquendi, & superuacuum exernendi, à iecore possident. Cerebrum quidem per neruos sentiendi & mouendi potentiam habet: Iecur uerò per uenas non solum nutritoriam uim, sed & materiam qua uniuersum corpus alitur exhibet. Cæterum cor per arterias uitam & spiritum uitæ tutorem transmittit. Testes genitalis seminis procreandi facultatem per uasa seminaria recipiunt ac deinde præparant.

Quæ longitudine solum in corpore crescant.

Nunc hominis totius compositionem ex quatuor partibus summis constitutam, utpote in caput, thoracem, uentrem & artus doceamus. Caput igitur quod Græcis κεφαλὴ est, supra reliquas corporis partes tanquàm artem inter reliqua urbis mœnia eminere cernimus, & partes animales continet, cuius constitutio, magnitudine, paruitate & forma conspicitur.

Capitis constitutio.

citur. Magnitudo enim si ad insitæ uirtutis robur, multã atq; optimã materiam tribuit, commendatam habet notam: sin propter solam materiæ abundantiam minime bonam: quod ex craßis spiritibus & pituitosis succis (ex quibus ignauia) hæc magnitudo sæpe contingat. At paruum caput uitiosæ constitutionis cerebri propriũ est inditium, propter defectum materiæ Siquidẽ caput exiguum, exiguã quoq; cerebri substantiam necessario habet, angustiq; erunt ipsius uentriculi meatus, & paucus aderit spiritus: unde uirtus animalis, (quæ in motib. & sensibus dominatur) præualere non poterit, tum propter spirituum penuriam tum cerebri imbecillitatem: quo fit ut qui paruũ caput gerunt, uersuti sint. Sed capitis optima διάθεσις hæc est, ut concinnam magnitudinem & formam ueluti Sphericam seu orbicularem habeat: atq; totius corporis proportioni & symmetriæ respondeat, probeq; ac perfecte, (quod præcipuum est) edantur actiones. Porrò capitis partes uel sunt externæ, uel internæ: Externæ quidem uisui patent, ut sunt capilli, cutis, uertex, occiput, syncipu t, facies cum suis partibus, nimirum fronte, superciliјs, palpebris, oculis, naso, malis, genis, mento: quibus adiunguntur aures & tempora. Internæ uerò non conspiciuntur nisi post dissectionem: cuiusmodi sunt caluaria, membranæ, suturæ, cerebrum cum suis partibus Capitis partes.

D & uenis:

& uenis, reticulum, uermiformis & huiusmodi.

Pili unde generentur.

Pili quos Græci τρίχες uocant duplicem generationẽ obtinent à conditoris primi prouidentia et loci natura, ut Galenus lib. 11. de usu part. corporis humani docet. frigidi sunt & sicci, excrementitijq; natura. Atq; ex locis humidis et molliorib. exeuntes plurimi sunt incrementi, ut in capite, axillis & obscœnis partibus. Qui uero ex duris atq; aridis, exiles sunt ac nullius incrementi. Siquidem humida & mollis materia facilius quàm dura & sicca in fumum & uaporem resoluitur, atque tum pili minori negotio cutem perforant. Et licet crassa & terrena materia ex qua generantur adsit, non proinde suscitabuntur, nisi prius fuliginosa & adusta fuerit. Præterea pili magna ex parte nigri sunt, uel flauij, uel albi, rufiue coloris: idq; pro humoris quem secum è profundo abundantiam & fuliginis adustionẽ, sicuti ex uapore adusto ui caloris & temporis spacio, quo in meatibus consistit: & tum nigri fiunt: Flaui uerò ex minori adustione: At ex pituita albi producuntur: sicuti rufos, flauos, ex pituitosæ biliosæq; fecis media quadam natura prouenire iudicamus. Crispi uel propter siccitatẽ temperamenti, uel meatuum in quibus radicantur tales fiunt, atq; ueluti igni propius admoti in se retorquentur: quemadmodum Galenus lib. secundo Temp. ostendit. At uerò pili qui mento succrescunt,

crescunt, ex calidi humoris affluxu à prioris capitis parte non secus ac testiculi generationis causam trahunt. Mulieres, Eunuchi, & puelli barbam non habent, propter inualidum roborem, & frigiditatem immodicam. Menstruorum interea suppreßio, barbatulas mulieres nonnunquã effici, Aristoteles scripsisse uidetur. Quod autem inferior mandibula sit piloſior rationes non sunt obscuræ. Illuc enim plus humoris propter frequentem motum attrahitur. Deinde iunctura eundem humorem recipiens laxior est, postea nonnihil cutis raritas efficit. Physiognomi aliquid sub barba, ut ex alijs corporis partibus colligunt, ut si densa, rara, prolixa, hyrsuta, nigricans, flaua & aliorum colorũ. Mulieres cur barbam non habeant.

Cutis quæ Græcis δέρμα dicitur, uniuersam corporis molem contegit, ex minutißimis neruorum fibris, uenis & arterijs contexta dicitur(que) ab excoriatione: siquidem δέρεσθαι Græcis, id quod Latinis excoriare sonat. Ea tamen in manu interna, facie, fronte & planta pedum uix excoriari potest, ob musculosam propaginẽ. Et quæ capiti inest dura, densa, sicca, & crassa existit. Ea tandem saluberrima cutis est, quæ raritatis & densitatis excessum declinat, quandoquidem rara cutis à qualibet extrinsecus occasione facile læditur: densa uerò corporis transpiratum prohibet, sicuti Galenus lib. 1. sanit. tuend. indicauit. Porro cutis, præsertim faciei, Cutis.

Corporis temperati ex cute notio.

si ex albo & rubro colore constet, corpus temperatum ostendit. Cæterum summa cuticula seu superficies efflorescens nullius sensus est particeps & ἐπιδερμις dicitur, quæ alterius tantum gratia ad tutelam superposita est.

Capitis partes externæ.

Sed nunc de partibus capitis agamus. Vertex igitur, κορυφὴ Græcis, summa capitis pars est, propter flexum capillorum circularem. Occiput seu occipitium posterior capitis pars à uertice ad ceruicem, ubi cerebellum, quod supra cerebrum flauescit & in primam uertebram desinit. Synciput in anteriore capitis parte super frontem ad uerticem usq; situm est. Facies anterior pars à syncipiti ex Aristotelis sententia, uel à superciliis secundum Galenū, ad collum usq; porrecta. Frons pars est depila, quæ interuallo syncipitis & oculorum medio concluditur, ex qua solent physiognomi, mœroris, lætitiæ, seueritatis, & clementiæ uitiorum & uirtutum sumere inditia. Supercilia enim quæ imam frontis partem concludunt, oculis pro uallo superponuntur: quorum pili æqualem magnitudinem seruant. ex quibus etiam Physiognomica indicia desumuntur, ut uidere licet apud Aristotelē & Plinium, Palpebræ tunicæ sunt quæ utrinq; oculos tegunt, quarū superior duobus musculis pro arbitrio mouetur: altera immobilis per se cernitur: Pili autem qui in earum extremitatibus sunt, cilia Latinis,

tinis, Græcis uerò βλεφάριδαι dicuntur, ex quibus etiam, ut de supercilijs dictum est, Physiognomicæ desumuntur diuinationes.

Oculorum (qui sub palpebris includuntur) ex tribus humoribus & quatuor tunicis, & alijs quibusdam subseruientibus particulis, integram compositionem natura effecit. Prima tunica ἐπιπεφυκῆα Græcis, Latinis uero adnata & coniunctiua uulgo dicitur, eò quod alijs quæ cum oculis communicant tunicis extrinsecus adnascatur: originem trahit à peritoneo, ex ea qua frontem tegit parte. Altera est κερατοειδῆς, hoc est, cornea, quæ alba est, solida, neruacea, & nullo modo fißilis, ex crassa mennige ortum habens. Hanc duram natura genuit, ut melius oculum quem totum ambit tueretur, fit tamen ante pupillam tenuior, ut per eam facilius rerum spectra introferantur: lucida quoq; est & albuginem humorum concludit, ut spiritui splendorem præbeat. Tertia ῥαγοειδῆς cæruleo colore donata, in medio perforata est, ubi pupillæ oculi circulus insignitur, & per rectas lineas uisio fit, atq; cristallinum humorem cui reliqui (nimirum candidus & uitreus in uidendi functione famulantur) circumuestit, uulgo uuea & acinea dicitur. Porro ῥαγοειδῆς foramen quatuor modis à propria natura immutatur, utpote dum auctum, uel imminutum, diuulsum aut ruptum existit,

Oculorum compositio.

atq; incrementum siue foraminis amplitudo semper bonæ uisioni incommodat, siue id ab utero protinus, siue postea contigerit. Imminutio uerò si in utero contracta est, acutißimam efficit uisionem: quæ uerò postea accidit mala est. Reliqua autem pathemata siue in conformatione, siue postea cum quibus genitus est contigerint, uisioni incommodum notatu dignum inferre possunt, quemadmodũ Galenus lib. 1. de sympt. caus. indicauit. Vltima ἀραχνοειδὴς tenuißima tunica est, araneæ telæ instar, unde aranea etiam & reticularis dicitur: candida & fulgens, atq; omnium leuißima, pupillæ imaginem ueluti in speculo refert, & humorem quem uitreum appellant continet. Sunt qui plures oculorum membranas adnumerent, quæ tamen uel parum apparent, uel subtilius dissecantur, iudicenturq; reliquarũ partes. Humores interea tres iam dictis tunicis, ut dictum est, comprehenduntur. Primus ὑδατοειδὴς, id est albugineus, ab albuminis ouorũ similitudine intra corneam excipitur. Ex hoc enim humore lachrymæ defluunt, tum à frigore tum ab alia re urgente, plus minusúe, pro maiori aut minori copia à cerebro. Secundus ὑαλοειδὴς, hoc est uitreus quod uitro liquefacto similis sit, intra araneam. Tertius κρυσταλλοειδὴς. Humor hic cristalli instar pellucidus est, à quo uidendi facultas perficitur intra uueam, Cæterum color in oculis aut multus, aut

Humores oculorum tres.

paucus,

paucus, aut mediocris apparet. Multitudo ſiquidem ſplendoris in humore puro ac pauco oculos cæſeos reddit. Contra paucus ſplendor in multo & impuro humore nigros. Mediocritas uerò tum in quantitate, tum in puritate, horum medios efficit: quemadmodum Galenus & Ariſtoteles oſtendunt. Ad hæc uariant in multis oculi, ſiquidem alij magni, alij parui, alij mediocres, uel nimium eminent, uel abditi ſunt, uel medio modo ſe habent. Similiter motu, nam quidam frequentiſsime nutant: alij intenti manent: alij medium inter alterutrum ſeruant. Qui hi uel illi portendant, ex Phyſiognomis poterit diſci. Verum equidem indagine coniectura talis uidebitur: ut uigilantibus, apertis, lucidis, mediocribus, atq; rotundis admodum ex ipſa proportione animus metiendus, integer & ſanus. Sunt præterea oculorum muſculi ſex: unus ſurſum, alter deorſum & duo in latera ducunt: reliqui uerò circumagunt. Sunt & nerui optici ſeu uiſorij, ab anterioribus cerebri uentriculis procedentes, duo molliſsimi, quibus duntaxat manifeſtum foramen natura conceſsit, ut ſenſilis ſpiritus à cerebro in oculum transferatur. Et cum alteruter oculorũ clauditur, alterius pupilla dilatatur, & is ſpiritus antea ambobus particulatim diſtributus: in unum deriuatur, & facultate eo modo duplicata, ſit uiſus acutior. Sicuti Galenus lib. 1 de ſympt. cauſ. & decimo de uſu

Oculorum ſigna phyſionomia.

Oculorum muſculi & nerui.

part. ostendit. Duo canthi seu anguli oculis utrisq; dantur: magnus ad nasum paruus uerò è regione dirigitur. præterea figura satis apparet, est enim globosa ut facilius incommoda quæ extrinsecus adueniunt declinent. Mathematici qui opticen docent, addunt. Si oculus non esset rotundus, quantitati capiendæ impar esset. Sunt & in oculis uenulæ quædam, quæ si amplæ conspiciantur, eorum temperaturam calidam esse, sicuti motus creber indicant.

Nasus. Nasus ea faciei pars est, quæ à superciliorum confinio oriens olfactum recipit, cuius partes duæ maximæ sunt, quas Græci ῥῖνας, Latini nares uocauere, qui quidē duobus foraminibus intercepto quodā medio diuiduntur. Exteriores partes, pinnulæ seu alæ dictæ sunt, quæ suis musculis mouentur. Porrò nasus duobus oßibus constat, in quorum summo est foramen, per quod à cerebro fit excretio, & quæ redundant excolantur: constat etiam cartilaginibus, accedit & modica caro, in qua sunt duo musculi, qui introrsus claudunt. postea neruus quoq; adest à tertia neruorū syzigia, item uenulæ quædam & in eiusdem extremum usq; disperguntur. postremo cute tegitur, qua tota facies. Eius generalis figura præter longitudinem triplex est: aquilina in qua caliditatis: sima, in qua frigiditatis: & media in qua mediocritatis indicium pro temperatura physiognomi ostendunt stes

Nasi triplex figura.

dunt statuuntq;. præterea naso hæc insunt commoda ut per illum ad cerebri confirmationem odores hauriantur, tametsi Galenus priores cerebri uentriculos olfaciendi instrumenta esse dicat, quandoquidem odor ad nasi carunculas delatus, illas subit ut olfactus uerus fiat. Nec solum olfactus sed omnium sensuum exteriorum uirtutem esse in cerebro propter neruos est iudicandum. Alterum commodum ut per collatorium superflua & noxia à cerebro excernat. Tertium, ut feruidus cordis ex aßiduo motu calor mitigetur, et ut fumi noxij excludantur. Genas à malis Aristoteles non discernit. Est tamen mala, faciei tumulus proximæ infra oculos, in pudore suffusis rubescens: Genæ uerò oculis propinquores. Bucca inde succedit quæ infra malas situm habet, & est concauitas interna, quæ spiritu à pulmone reuocato, & oppreßis labijs retento inflatur. Labia seu labra dicuntur quæ dentes extrinsecus obducunt atq; hilaritatem & risum indicant. Rursum linea seu fouea quæ in ridentis facie apparet, ueluti corrugatio quædam, Gelasius dicitur. Maxillæ seu mandibulæ ad mentum usq; descendunt, suntq; duo illa ossa in compagine acuminata quibus dentes infixi sunt. Solent physiognomi ex labijs sua prognostica elicere, ut si tenera & mollia, generositatis & acuminis ingenij: Si uero crassa & dura insipientiæ & obtusi intellectus si-

Genæ.

Bucca.

Labia.

Maxillæ.

Mentum. gnum esse perhibent. Mentum sub inferiori labro, figura oblonga & orbiculari prominet & in medio notabilis lacuna quædã interdum apparet, quæ amantis & luxuriosi est indicium. Auris. Aures capitis organa sunt quibus enunciata & sonos sine respiratione apprehendimus. Harum utramq; Aristoteles in duas partes distinguit, superiorem uidelicet & inferiorem, Superior partis totius nomen retinuit: inferior uerò λόβον, alij λόβιον, latinis uero ima auricula, dependens & pinna paßim nuncupatur. His accedunt alulæ uersus tempora & semicirculus acuminatus, sub cuius mucrone subiacet chonchula tum exterior, tum interior. Insuper auris ex cartilaginibus & modica carne est constructa. Eius figura introrsum cochleæ similitudinem habet, usq; ad illud os quod à duritie petrosum dicitur, in quo fit sonitus. Ibidem enim membrana ex neruo cui facultas auditoria tribuitur est expansa. Est præterea neruus auditorius, qui non aliter suam ob id functionem atq; in oculo crystalloidis humor. Tempora. Hæ capitis partes quæ inter oculos & aures sitæ sunt κρόταφοι Græcis, Latinis uero tempora dicuntur, ubi nerui & arteriæ quædam insunt, quibus à cerebro in reliquas partes spiritus animalis diffunditur. Spiritus etiam uitalis à corde proficiscens in caput defertur, quo fit ut hac in parte icti facile intereant, utpote cum obstructis meatibus spiritus occludantur,

cludantur, nec præstare ualeant officium. Porrò tempora dicuntur eò quod annorum seu temporum notæ hinc posse colligi pleriq; existimarunt: & ijs quos ad senectutem ætas perduxit magis excauantur. Adhæc temporũ musculi apud Galenum κροταφῖται dicuntur. Ossa duo utrinq; ad aures sita λιθοειδῆ: hoc est, petrosa seu Lapidosa. Hactenus externas capitis partes recensuimus, nunc eadem ratione internas prosequamur. Postquam igitur cutis extima quæ propter capillorum segetem crassa est, excoriata anatomicè fuerit, mox occurrit tunica quæ ex duriori cerebri inuolucro ducit originem. Hæc totum cranium contegit, unde περικράνιον, καὶ περιόστεος, id est circumossea dicitur. Et ubi ad oculos peruenit adnata seu coniunctiua nuncupata est, eo quod extrinsecus alijs membranis oculum constituentibus, ut dictum est, adnascatur. Est autem hæc membrana neruosa totam caluariam comprehendens, quæ quidem per suturas ex inuolucris cerebri prodit, ex qua etiam neruosæ membranæ complures deriuantur, sicuti quæ costas succingit, quam Græci πλευρὰν nominant, septũ transuersum, peritonæum & alia id genus. Sub hac altera est tunica quam περιόστεον nunc diximus, oßibus cunctis commune tegumentum. hæc si radatur nuda caluaria sese exhibet. Cæterum ex pericraneo uenæ & arteriæ oriuntur quæ

Corporis partes internæ.

untur quæ suturas subeunt, ut cerebro alimoniam deferant. Craneum insuper omnes particulas capitis comprehendit. Est autem os illud rotundum quod galeæ figuram refert, constat suturis communi consensu quinq;, tametsi non in omnibus idem semper numerus inueniatur, sed tantũ tres, prima στεφανιαία id est, coronalis quæ per synciput utrinq; ad tempora porrigitur. Altera λαμβδοειδὴς, quæ à summo capite, sic enim eam appellant, quod λ literæ figuram referat. Tertia ὀβελιαία, id est, sagitalis à medio huius posterioris per uerticem usq; ad anteriorem mediã pertingit, & figura sua H representat, nisi quod pars dextra obtusior sit. Reliquæ uero duæ obscuriores, ac minus euidentes, quæ tempora à superiore capitis parte discernunt. Atq; κροτάφεια id est temporalis & λεπιδοειδὲς quasi squammosæ suturæ dictæ, ut quæ squammarũ formã præ se ferant. Harum omnium triplex est usus. Primus ut fumosi spiritus exhalent, quod optime fit, dum capita lauantur, pectuntur, & fricantur. Secundus ut per easdem durum cerebri inuolucrum pericraneo potissimum connectatur. Tertius ut pharmaca per illas intra craneum deferantur. Mulieribus una est sutura circularis, uiris autem ut plurimum tres, quæ mutuo tactu connectuntur. Illis quidem ob immodicam frigiditatem ualdè sunt angustæ & interdum non apparent.

Cranei suturæ.

Nunc de

Nunc de cranij oßibus quæ suturis & commissuris coniunguntur erit dicendum. Illa autem septem sunt numero. Primum caluaria dicitur quæ os frontis est circa coronalem suturam. duo postea quæ in uertice per sagittam intersecata & usq; ad os frontis ubi phregma constitutum est, pertingunt. Iuxta tempora etiam duo lapidosa. septimũ est adiunctum palato, & à multiplici forma πολύμορφον dictum. In facie etiam duo circa nasum: iuxta oculos totidem, duo pariter iuxta mala, in palato rursus quatuor, quæ perpendiculum & subiacentem lineam dissecantur. Alia quoq; duo in quibus dentes sunt fixi, nempe mandibula superior & inferior. Sunt adhuc alia quædam si à suis commissuris separentur, ueluti in posteriore capitis parte, qua cerebellum continetur duo adnata, seu appendices duæ, quæ primæ uertebræ implicantur. Alij etiam processus seu explantationes ut uocant, quæ Græcis ἔκφυσις καὶ ἀποφύσεις nuncupãtur, Sic ossa paris dicta, σφηνοειδεῖς quod alij inter capitis, alij inter maxillæ superioris ossa connumerant. Postremo os basilare, quo cerebrum superflua excernit. Prætereo ex industria minutißima quædam ut sunt ipsorum & reliquorum oßium situs, uenarum propagines & huiusmodi, cum paulo supra ἐπιγραφὴν præcipua solũmodo humanæ constitutionis expendamus. Maxilla porrò utraq; dentes si- Cranij ossa vij.

tes si-

Dentes xxxij. tes ſicuti iam dictũ eſt, continet, qui quidem triginta duo in uniuerſum exiſtunt: Priores quaterni à ſecando inciſorij dicuntur: Poſtea canini, utrinq; bini inſeruntur: Deinde maxillares quaterni: & poſtremo ſeni molares. Interdum dentium integer is numerus non eſt. deſiderantur enim in quibusdam quaterni ultimi maxillares. Porro dentium uſus primus ad inci-

Dentium uſus. dendos confringendosq; cibos: alter ad uocis formationem & pronunciationem. Vltimus propter decorem & uenuſtatem faciei. Cæterum eorum conſtitutio uaria eſt, partim ſiquidem ex oſſe conſtant, partim ex carne & neruis à tertio pari, præſertim radices. Ideo ſentiunt propter neruos qui à tertia ſyzygia deducuntur. Præterea caro quæ circa dentes utriusq; maxillæ adnaſcitur, tanquam uallum dentium eſt & gingiua latinis nuncupata. Pars concaua ſupra lin-

palatum. guam ad fauces, palatum latinis, Græcis uero ὑπερῷον nominatur. conſtat ex oſsibus ipſius maxillæ, parua carne, & membrana, quæ à fiſtula per quam cibus in ſtomachum defertur, & ab ipſo etiam ſtomacho oritur. Poſt palatum faucibus eſt locus, ſpaci-

Fauces. um ſcilicet illud latum intra os quod æſophago ſeu gulæ & tracheæ arteriæ præiacet, atq; in eo ſpacio uula & amigdalæ ſeu glandulæ continentur, alio etiam nomine pharinx, unde ex cernuntur redundantes

Vua. humores ex capite. Præterea in faucibus primum uua occurrit,

occurrit, quæ Græcis γαργαρεών, Latinis uero uula, columella & columna, quæ similitudinem uuæ acino præ se fert, sed parte superiore qua ex palato pendet super Epiglotida ampla est & crassa: internæ uero angusta & acuta, uenis & arterijs plena, atq; suspensa manet, & dum humor defluit longius protrahitur, & si quando inflãmata fuerit minatur suffocationẽ. Excipit autem à capite humiditates destillantes remoraturq; ac cõtemperat aërem ne minis frigidus subito ad pulmones irrumpat, comedentibus etiam ne quid esculentorum & poculentorum per uiam spiritalem descendat contegit. Post uuam circa linguæ radicẽ, & iuxta gulæ initium caruncula quædam glandibus non absimilis utrinq; conspicitur, quæ quidẽ sparsas uenulas habet αὐτιάδες dictas: nos uero tonsillas, amygdalas & glandes nuncupamus, in quarum medio uula hæret. Et dum præter modũ intumescunt, dolorem qui interdum suffocat concitant. Conducunt & ad continendũ aërem & ad coarctandum fistulæ principium. Lingua ex carne spongiosa molliq;, uenis, arterijs, neruis, ligamentis & musculis constat. Ex uenis quidem rubet & nutritur: Ex neruis & carne musculosa, motũ, sensum & gustum obtinet. Motum quidem uoluntarium (moueri enim potest pro arbitratu cuiuslibet) ex nouem musculis & neruis septimæ syzygiæ. Gustus ex neruis tertiæ, & tactus

Tonsillæ.

Lingua.

& tactus ex carne. Sunt etiam qui ex linguæ tunicâ per se sapores discerni ostendant. Est præterea linguæ caro rara & mollis & in eius radice glandulosa figura, in posteriore parte lata in anteriore uero angusta. Porro in linguæ ipsius radice duo sunt spacia concaua ex quibus saliua emanat, quæ quidem clauduntur dum ipsa desit, & aperiuntur cum redundat, atq; lingua subinde humesit. Præterea ossi ὑωειδεῖ lingua infigitur, ex hoc quidem osse multi musculi prodeunt, quod cartilaginosum & bilaterale conspicitur. Adhæc intra fauces est ἐπιγλῶττις, id est, membrana ex cartilaginibus, quæ guttur seu utramq; arteriam continet, ne cibus aut potus elabatur. Hanc laryngis orificio natura obiecit, ut quo tempore respiramus recta maneat, cum uerò deglutimus aut cibum assumimus super laryngem subcedat, ne loquentibus illuc cibus aut potus inter deglutiendũ permeet.

Epiglottis.

Trachea arteria.

Trachea arteria, fistula est descendens ad pulmones respirationis & uocis gratia, atq; cartilagine tanquàm anulis distinguitur, uocaturq; ob id aspera, cuius partes postea in collo dicemus. Altera fistula uocatur οἰσόφαγος, latinis uero gula, & ad os uentricli porrigitur, in eumq; cibum & potum transfert.

Gula.

Duo cerebri inuolucra.

Nunc cerebri (in quo animæ pars principalis ἡγεμονικὴ constituta est) inuolucra μήνιγγες Græci uocant, explicemus, quarum una crassa est, ideo crassa me-

sa meninx aut dura mater dicitur: altera est mollior, tenuior & subtilior, atq; ob id pia mater dicta. Harum prior est ueluti propugnaculũ, quod cerebrum eiusq; molle inuolucrum contegit ambitq; penitus, ne à cranei duritie lædatur. Altera interstitium constituit inter cerebrum & cerebellum: ut uenas sustentet, quæ ultro citroq; implicantur, quibus cerebrum nutritur. Sub his tunicis cerebrum latitat, animæ rationalis, ut inquit Plato, domicilium. Nec aliter Galenus lib. 1. sanit. tuend. Cæterum inter reliqua membra primas cerebrum obtinet, propter sensus interiores: alia enim famulantia sunt, ut craneum, membranæ, nerui, medullæ, uenæ, arteriæ, rete admirabile, & alia id genus. Præterea cerebri substantia alba est, quia sine sanguine per se mollis instar coaguli ut affectiones sensuum interiorum uarias facile recipiat: humida, ne à motu qui fit per spiritus plus satis exiccetur: pinguis & tenax, ut spinalem medullam & neruos nutriat. Est etiam præter omnes corporis partes frigidißimum, & friabile, uenas, arterias, sanguinem & spiritum ex se non habens. Ad hæc cerebrum bifariam diuiditur, utpote per latitudinem & longitudinem. Latitudine quidem duas tantum partes habet, anteriorem & posteriorem. Illa quidem dextram & sinistram eiusdem magnitudinis per sagittalem suturam utrinq; ab altera, sicut per lambdoiden cerebellum à

Cerebrum primas inter reliqua membra obtinet.

lum à cerebro extrinsecus : sed intrinsecus per meningas. Atq; cerebrum anterius mollius est, ex quo nerui senserij, sic dicti quod sensum particulis distribuant, præsertim uisum & auditum. Posterius autem durius unde motorij nerui producuntur.

Nunc de neruorum paribus quæ Græci συζυγίας appellant. Itaq; neruorum quidam à cerebro (& hi propriè nerui dicuntur) quidam ex spinali medulla, alij ex musculis & hi tendones dicti, Alij ex oßium extremitatibus, qui ligamenta uocantur originem ducunt. Sunt igitur septem neruorum paria seu coniugationes. In primis equidem optici seu uisorij, ab anterioribus uentriculis ad oculos instar X literæ sese inuicem dissecantes, uidendi uirtutem suppeditant. Alia duo paria, oculorũ musculos mouent. Tertium par in cõmissura cerebri & cerebelli iuxta basin inuenitur. Quartum à tertio pari discedens ad palatum usq; procedit. Quintum prodit cum tertio pari & maxillæ adiungitur. Sextum iuxta basin cerebri prodit. Septimum par & ultimum partim in musculos linguæ, partim in laringa & cartilaginem distribuitur. Hactenus capitis totius partes præcipuas enumerauimus, nunc colli ac subinde reliquas partes explicemus.

Septem neruorum paria.

Collum ambitus ille est à capite ad humeros, ex cute, carne, neruis, musculis, uenis, arterijs, uertebris, cartila-

Collum.

cartilaginibus constitutum: in quo duæ canales seu arteriæ quæ Græcis καρωτίδες conclusæ sunt. Prima anterior, & cartilaginea, per quam & respiratio fit, Græci τραχεῖαν ἀρτηρίαν uocant, quæ cartilagineis ueluti annulis ut ante dixi & membranis neruaceis constructa est, & à faucibus usq; ad pulmones progreditur: & est ueluti ductus quo aër in pulmones recipitur, quo etiam fuliginosi halitus cum per os tum per nares excernuntur. Hanc propter modulationem uocis (cuius formandæ instrumentum est) longiusculam esse oportuit. Animalia siquidem, quibus collum, per quod eam distendi oportet deficit, muta sunt. sicuti & quibus pulmo deest. Porro tracheæ orificium λάρυγξ, id est, guttur appellatur: reliquum uero corpus post laringam usq; ad pulmones βρόγχος Galeno dicitur. At uero βρόγχος humor est excrementosus qui in guttur defluit raucedinem efficiens. Præterea huius arteriæ constitutio ex tunicis cartilaginibus & musculis est confecta. Prima siquidem tunica seu membrana ambitum arteriæ intus & extra circumuestit, altera interna est & orbicularis, omnia concludens atq; contegens. cuius fibræ in longum recta contextæ sunt. Externa uerò est tegumentũ aliarum eiusdem partium uniuersarum, cum eadem structuræ ratione. Alia est cartilaginum hemicyclum exuperantium sutura, quatenus eius & gulæ mutua est βρόγχος.

coniunctio. reliquæ enim cartilagines rotundæ prorsus sunt.

Larynx.

Larynx porrò tribus componitur cartilaginibus, una maxima est & suprema, gibba foris ut contactu apparet, intus uerò caua ut est ad formandam uocem necessaria. Media aliquanto minor, qua parte gula subsidet, & omnino circularis. Vltima ἀρυτ[αιν]οειδὴς uulgo cymbalaris, quod in modum cymbali uox in ea quodammodo resonet. Hæc cum foris expectat ἐπιγλωττίδα excipit. Porrò uocis organa dicuntur, per quæ spiritus reditus uox efficitur. ut sunt aspera arteria, guttur, & fauces, quemadmodum Galenus lib. 1. Epid. ostendit.

Laryngis musculi xx.

Adhæc in larynge musculos uiginti adnumerant, duodecim proprios & octo communes: Ex proprijs quatuor primam cartilaginem secundæ coniungunt: quatuor tertiam secundæ connectunt: duo tertiam primæ copulant: & duo in basi tertiæ cartilaginis sedem habent. Ex communibus uero sex primæ cartilagini: duo autem laryngis operculo inserti sunt. quo pacto autem collocentur Vesalius uir nostræ tempestatis, in corporis humani artificio exercitatißimus optime indicauit. Altera arteria carnosa est colli & spinæ uertebris incumbens ad uentriculi orificium perducitur.

Ceruicis uertebræ vij.

Cæterum in ceruice, hoc est postrema colli parte, uertebræ septē quæ caput fulciunt, sunt constitutæ: quæ quidem nunc nodi, nunc spondilia, dicuntur. Prima igitur

igitur capiti annexa est, supra quam caput uertitur: altera statim subijcitur eadem ferè ratione: aliæ uerò quinq; coalescunt, in anteriori quidem parte firmißimo uinculo (quod membraneum est) astrictæ, postea duodecim subnectuntur dorso, cõmunes per spinam ad os usq; magnum quod & sacrum dicitur deductæ syzygiæ per singularum uertebrarum utrinq; constituta foramina: unde sensus & motus corpori exhibetur. Postremo sub gutture duo ossa à collo ad humeros quo loco facillime animalia iugulantur, propter arteriæ expeditiorẽ compreßionem, ob id & iuguli dicuntur. Sic à similitudine furculæ fœnilis κλείδες, quasi clauiculæ quæ occludunt quum astringuntur & dum laxantur aperiunt pectoris penetralia.

Sequitur nunc ut de humeris dicamus, quiquidem humani corporis partes sunt utrinq; ab ima colli propagine ad brachia prominentes, Græcis ὦμοι dicuntur. Proprie tamen humeri ossa illa sunt, quæ à summo brachio usq; ad eius flexum protendunt, quorum partes summæ ἀκρωμίαι & ἐπωμεῖς Græca appellatione dicuntur: quibus scapularum ossa ὠμοπλάτη dicta cum iugulo mutua fit connexio. Ancon tum Græcis tum Latinis ea brachij pars est, quæ incuruari & retorqueri manu pectori admota potest brachij etiam flexum uocant. Subsequuntur subinde ossa duo usq; ad brachiale: cubitus scilicet & ra Humeri. Ancon.

dius. Ille in superiori parte duos recipit mucronatos processus, quorum anterior minor est & in horum utriusq; complexu est sinus, qui συγμοειδης uocatur: plerumq; tamen pars illa quæ ab Ancone est usq; ad palmam, cubitus dicitur, ad brachiale quod Græcis κάρπον est, octo oßibus constitutũ desinens. Huius partes duæ sunt, præcedens προκάρπιον & subsequens μετακάρπιον. Hæc extensæ manus pars est extrema usq; ad digitos.

Manus organum organorum.

Nunc manus quam Aristoteles organum organorum uocauit, fabricam aggrediamur. Eius itaq; pars prima quæ intrinsecus cum quadam concauitate apparet, palma dicitur. cauitas uero manus internæ uola, cui metacerpion opponitur. Thenar & hypothenar opponuntur, Illud quidem iuxta pollicem assurgit, sed in his Polux non nihil uariat. à magno siquidem digito ad indicem usq; thenar illi est: & ab indice ad minimum hypothenar.

Digiti.

Digiti qui Græcis δάκτυλοι dicuntur manui utriq; ductu naturali, quinq; annumerantur, utpote, pollex, qui primus & omniũ craßißimus est, Græcis ἀντιχείρ, postea index λείχανος, Deinde medius μέσος, demum annularis δακτυλωτης, postremò minimus μικρὸς, Hi omnes ex Galeno quatuor oßibus constant, ut ratio ternorum oßiculorum digitis rectius iniretur. At de musculis & uenis, eorumq; propaginibus, nexibusq; & eorum

eorum operationibus Galenus lib. 2. de usu part. indicauit. Sunt præterea tres uenæ insignes cum sua ramorũ propagine, humeraria scilicet quæ cephalica dicitur: axillaris quæ basilica & iecoraria nuncupatur, & mediana seu media, quæ communis atq; Arabibus nigra uocitatur. Est quoq; una arteria quæ totam manum percurrit modo sub uno humerariæ uenæ ramo, modo sub uena axillari. Humeraria supra inflexum uersus scapulam aperitur: Mediana infra uersus manum: axillaris iuxta furculam, seu ramificationem ubi magis tumet: Sic & Saphenam recta clauiculã. quod si in poplite hanc secare uoluerimus, poplitem ligare parte inferiori & superiori oportet, & subinde longe à ligumentis & neruis tundenda, securius tamen superiori modo aperitur. Porro uenæ humerariæ nulla arteria subijcitur, neq; ramis qui ab ea propagantur, si unum in eo nodo quo brachium cum cubito coarctatur, sub uena axillari exceperis: Reliquæ uero uenæ superficiariæ arterias nõ habent.

Venæ tres insignes.

Thorax à clauiculis ad diaphragma continetur & partes uitales habet, atq; uenter medius nuncupatur. In hoc etiam costæ duodecim ab utroq; latere & uertebre totidem proxime à collo impactæ ad os pectoris sufferuntur. Sed ex eis septem superiores ueræ & integræ dicuntur, quæ cum osse pectorali coniunctæ sunt: Aliæ uerò nothæ, spuriæ, & illegitimæ appellan-

Thorax.

pellantur: quæ propter alui extuberationem & uentriculi intentionem ac propter mulieres uterum gerentes decurtatæ sunt, ad diaphragma desinentes. Eas Græci simpliciter χόνδρον & partem sub eisdem utramq; ὑποχόνδριον appellarunt. Cæterum Hypochondrion cum ilijs & præcordijs authores sæpissime confundunt: sed hypochondrion proprie supernam uentris partem, in lateribus sub costis, ubi iecur, lien, uentriculus, & peritoneum. Ilia uerò infimam à lateribus iuxta pubem. Præcordia autem membranæ sunt (ut etiam Plinius testatur) quibus exta ab inferiorum uiscerum parte separantur, Græci φρένας & διαφράγμα, nos septũ transuersum uocamus. Est & altera tunica quam Græci διαφράττων uocant, nos uerò communi uocabulo mediastimum, quo thorax dextra atq; sinistra parte & pulmones intercipiuntur. Eius utilitas est ut si altera pulmonis pars uitiata fuerit, alteram integram conseruet. Porro membrana costas intrinsecus succingens, πλεῦρα dicitur. Vltima διαφράγμα: Celsus septum transuersum interpretatur, quod instar septi cuiusdam in transuersa parte thoracis membra naturalia à uitalibus, seu uentrem inferiorem à pectore, ne cor halitu ciborum in præcipuis animæ operationibus impediretur. Veteres hanc partem φρένας & ijs è regione positam μεταφρένον dicere consueuerunt.

Hypochondrion.

Ilia.

Libro xi. cap. xxxvij.

Iam uero

Iam uero de pectore, cuius constitutio à collo ad diaphragma est constructa. Illud equidem constat cute, musculis, oßibus, cartilaginibus, membranis, uenis, arterijs, & eiusmodi. in quo etiam duæ mammæ utrinq; sitæ sunt, quæ Græcis τίτθια dicuntur. In fœminis tamen lactis causa laxiores. Suscipit albedinem lac ipsum à carnis substantia, quæ alba, rara, & spongiosa est, ex uenarum & arteriarum à superiori furcula intertextu, quæ cum nutrimentum attrahat, menstruum sanguinem in album conuertit. Apices quos infantuli sugunt θήλαι hoc est papillæ uocantur. Partes quæ pectori incubant & in eo continentur, cor primas ueluti sol inter errones poßidet, cui arteria uocalis & pulmones spiritum præparant. Huic etiam membranæ, costæ, musculi, pericardion, propugnacula & tegumenta dicuntur. Præterea uenæ & arteriæ ab illo in alias corporis partes spiritum & sanguinem deferunt. Adhæc membrana quæ totum corpus cordis ambit Græcis περικάρδιον dicitur. Hæc neruacea est in qua humiditas quædam continetur, idq; ne cor ex motu continuo calefacto exiccetur ac tabescat. Cæterum cor (ex quo iecur, cerebrum, testes, & aliæ corporis partes uitam habent) in medio pectoris consistit, sed eius mucro nonnihil ad sinistram, sicuti basis ad dextram deflectitur. Deinde cordis substantia ex carne solida est, & ueluti Pectus. Pectorales partes. Cor.

sanguine concreta, cui uena inest quam arteriosam uocant, & arteria torta omnium maxima propago & origo, cuius una pars iugulum petit: altera deorsum ad spinam detorquetur. Postremo arteria uenosa. Sunt etiam cordis uentriculi duo, qui à Græcis γάστερες dicuntur, quorum utriq; est suus ambitus, dexter qui tactu est mollior, in quem uena caua subit, & ex quo uena arteriosa egreditur: Inest & cartilago, quæ omnia in dissectionibus sunt consideranda.

Pulmo.

Proximus cordi Pulmo est qui Græcis à spirandi officio πνεύμων dicitur, cuius substantia rara est & spongiosa, atq; arterijs tum lenibus tum asperis constituta. Præterea pulmo in duas partes, dextram & sinistram diuiditur, idq; per membranam intercipientem. est etiam quatuor fibris seu pinnis quos Græci λοβοὺς uocant circumdatus: duæ quidem in sinistra, totidem in dextra, quibus tertia accedit admodũ exigua quasi alterius soboles.

Partes naturales.

Superest uenter inferior qui à diaphragmate ad os pubis porrigitur, partes naturales complectens, ut sunt membrana, adeps, musculi, peritoneum, omentum, mesenterium, intestina, lien, iecur, uentriculus, renes, uesica & membra genitalia, tam in uiris quam mulieribus. Principio cutis totius animalis inuolucrum sese offert, ex qua per poros continua, nostræ substantiæ nullo sensu percepta fit transpiratio. Tuberculum

berculum illud in uentris atq; animalis totius medio, ὀμφαλὸς Græcis, Latinis uero umbilicus nominatur. Postea adeps sequitur, & ab ea musculi octo, quibus abdomen comprehenditur. Ex ipsis itaq; musculis, quatuor sunt obliqui, duo recti, & duo transuersi: in quibus ordo, origo, connexus & situs obseruari debet: duo primi à spurijs costis obliquè ad pubis ossa descendunt, alij duo è contrario ab oßibus coxendicis obliquè ascendentes ad mucronatam cartilaginem desinunt. Tertium par ab hac cartilagine recta ad pubis ossa, ultimum à lumborum uertebris ad extremum spuriarum costarum in anteriori parte adhærescit. In primo pari est membraneus & ualidus tendo ante inguina: in secundo membrana carnosior: in tertio multum carnis adest tota longitudine: In quarto iuxta originem membranosum ligamentum, quod deinde fibris adauctũ in musculi naturam abit. Sub his musculis est tunica quæ intestinis adiacet & substernitur admodum subtilis, uideturq; telas aranearum referre, Græcis περιτόναιον, quod sit undiq; circa illas partes extensa, cui neruosus panniculus subiacet ἐπίπλοον & omentum dictus. Postea sequitur μεσεντέριον, sic dictum à situ cum sit intestinis implicitum, dicitur & μεσάραιον à substantia tenui. nam subtilis est à peritoneo panniculus, neruis, uenis, arterijs & glandulosa constans carne.

Musculi uentris inferioris viij.

In me-

In mesenterij complexu sex sunt intestina ex duabus tunicis constituta, in quibus quædã sunt fibræ transuersæ, ad excrementorum expulsionem: aliæ rectæ, propter facultatem attractoriam. Atq; tria superiora intestina gracilia sunt, reliqua uerò craßiora. Primum igitur intestinum δωδεκαδάκτυλον à Græcis dicitur, Latinis uero communi uocabulo duodenum quod à pyloro, id est inferiori uentriculi meatu oritur. Secundum, ieiunum, quod innane & uacuum sit. Tertium ἴλεος Græcis, Latinis uero tenue, in quo Iliacus morbus, seu uoluulus gignitur. Quartum cæcum dicitur, cuius sedes sub iocinore & dextrò rene est constituta, & in quo magna ex parte lumbrici generantur. Quintum colon est, cæco continuum, in quo sinuosæ sunt quædam inuolutiones. Sextum rectum dicitur, in cuius ambitu est astrictorius musculus Græcis σφιγκτὴρ, cuius extremum anus & podex dicitur.

Intestinorum numerus.

Lumbrici in quo potissimum intestino generentur.

Hepar.

Hepar sub diaphragmate in dextro hypochondrio proximè locũ habet, cuius substantia est rara, mollis & rubea, ueluti sanguis recenter concretus. Intrinsecus cauũ unde uena porta (ex qua uenæ mesaraicæ & aliæ quædam propagantur) ortum habet Extrinsecus uerò gibbum, quod prominens uentriculo incumbit, & ab eo uena caua & magna seu iecoraria oritur. quæ sanguinem ad cor per reliquas uenas

in totum

in totum corpus transfert ac distribuit, ob id uehiculum alimenti est dicta. Hepar insuper uirtute sua specifica sanguinis generandi est organum, & non cor ut quidam iudicarunt, atq; summa hepatis in parte uesicula est, in qua amara bilis recipitur.

Alterum uiscus quod lien dicitur, in sinistra corporis parte hepati opposita. paulo tamen inferius, atq; in costarum spurcarũ media cappacitate collocatur. carne constat subtili, rara, spongiosa, subnigro colore: est enim atræ bilis receptaculum, in eo etiam multæ sparsæ sunt arteriæ, quæ calorem à corde recipiunt ad sanguinis fœculenti concoctionem. Lien.

Ventriculus sub septo transuerso in medio animalis iuxta mucronatam cartilaginem inter hepar & lienem est constitutus, & ex duabus tunicis simul compactus: In interiori quidem quæ propter facultatem attractoriam membranosior est, fibræ rectæ sunt: In exteriori uerò, quæ propter expultricem carnosior, transuersæ. Porro uentriculi ostiola duo sunt superius quidem ὁ οἰσόφαγος Græcis, Latinis uero gula & stomachus, inferius uerò ad dextram prope iecur situm habet, cui astrictoria uis inest, quousq; concocta esculenta ad intestina demittat. Ventriculus.

Sub hepate & liene renibus qui Græcis νεφροὶ dicuntur utrinq; locus est, quorum substantia carnosa, solida, & densa est, & à uena caua alimentum desummunt. Renes.

ſummunt. Horum in medio ſunt urinarij meatus, quos Græci ὀυρητῆρες appellant, qui quidem ad ueſicam deſcendunt, ut ex his urina in ueſicã defluat.

Veſica. Veſica quam Græci κύστιν uocant, ex duabus tunicis neruoſis & denſis, nec non uenis & arterijs quibusdam eſt conſtructa. Iam uerò de membris genitalibus, quæ quidem in utroq; ſexu duo ſunt, aliud in dextrum, aliud in ſiniſtrum ex compagine magnæ uenæ & arteriæ ab utroq; latere uſq; ad ipſos teſtes compoſita, unde ſanguis & ſpiritus ad generationem deferuntur: ſiquidem ſemini uirtus ineſt ab hepate propter uenam à corde: propter arteriam, à cerebro: propter panniculum quo uena caua & arteria Aorta iunguntur & conteguntur.

Semen humanum unde producatur. Semen ex quo animal generatur à toto corpore iuxta Hippocratem producitur, ſed magna ex parte à cerebro, cum eius natura ſanguinis ſit propinquior. Et quoniam à caua uena dextri teſticuli ſemen calidius maſculis gignendis magis accommodum, ueluti ex uena emulgente ſiniſtri ſemen aquoſum & minus excoctum prolicitur fœmineis generandis appoſitũ. Hæc uaſa quæ præparantia dicuntur, utilem ſuperfluitatẽ ultimæ concoctionis à toto corpore trahunt & paulatim præparant ad ſeminis humanæ ſpeciei naturam: poſtea teſtes qui calidi ſunt concoctionem explent & ſua concoctione ſanguinis ruborem in album con-

bum conuertunt. Porrò inuolucrum quod circa caput testiculorum existit ἐπιδιδυμὶς dicitur, estq; testium superior particula ex seminarijs uenis & arterijs ipsos conuoluens. His accedit exigua quædam uenarum & arteriarum propago, quæ in unum desinens meatũ genitura ex superiori testium parte ad penis ipsius originem & urinæ canalem producitur. postea ab inuolucro uehitur semen in uasa, quæ conseruantia dicuntur. Insuper testiculorum tres sunt tunicæ, quarum extrema ὄσχεον, id est scortum, Media δάρτος: ima ἐρυθροειδὴς.

Testes uero Græcis δίδυμοι dicuntur, singulis hominibus bini ut plurimum sunt, & in superioribus uasis præparatum semen conseruant. Horum caro mollis, frangibilis & glandulosa, qualis in mammis reperitur. Penis καυλὸς Græcis dicta, connexum cum uesicæ collo habens, carne dura constat, ligamentis & tendonibus multis, qui ab osse fœmoris oriuntur. Similiter & neruus à spinali medulla, tum etiam uenis & arterijs nec non musculis duobus ab utroq; latere. Præterea penis summitas βάλανος hoc est glans dicitur, foramen uerò quo urina redditur οὐρήθρα, Cuticula glandem uestiens, præputium. Testes.

Mulieres etiam in utroq; latere uenas & arterias habent, sed magis quam in uiris breuiores, & circa earum testiculos anfractuosa quædam est circumuolutio,

lutio, unde rami duo exeunt, quorum unus uuluæ corpus subit, alter laxis quibusdam anfractibus in muliebrium locorum apices abit.

Vterus. *Vterus Græcis μήτρα, Latinè matrix: quibusdam loci muliebres, inter rectum intestinum & uesicam situm habet, atq; fundũ ipsius umbilico uicinum est: ac uteri ipsius collum additus est longiusculus ad muliebrium sinũ desinens, & ex musculis, carne duriore & cartilaginibus constitutus. cuius longitudo in mulieribus ætate perfectis, sex ferè digitorum est: ueluti ad fundum usq; undecim: ut in dissecationibus anatomicis apparet. Porro ceruicis seu colli extremitas præter cuticularem connexum & rugarum implexum nymphea dicitur. Hæc masculorum præputio respondet, & ceruicem obturat, ne quid frigidi aëris intro recipiatur. Sunt præterea ipsi utero duo sinus, dexter, in quo mares & sinister, in quo fœmellæ sæpius generantur. Similiter duo cornua quæ uterum coxis alligant: duo itidem testiculi utrinq; iuxta hæc extra matricem sed masculis minores, duriores, & frigidiores. Ob id ipsarum semen magis est tenue & aquosum quod uirili in fœtus procreatione miscetur, nam utrumq; actiue & paßiue in fœtus generatione se habet: multum siquidem in utroq; spirituum inest, sed uirile semen cum sit calidius & craßius magis agit. Sunt & uenarum in matrice quædam ori=*

dam orificia Græci κοτυλήδονας uocant. sed cum uenarũ scaturigo hic uaria sit, duæ erunt potißimum considerandæ, quæ ad mammillas diriguntur. Ex his itaq; sanguis menstruus effluit, & puriorem sanguinem quo matrix & fœtus nutriuntur conuehunt. In mulieribus porrò paulò aliter atq; in uirginibus menstrua, tum colore, tum copia discernuntur. Postremo est hymeneum, hoc est, membrana quædam instar retis, ex ligamentis subtilibus & pluribus uenulis circa ceruicis medium intertexta, quæ in defloratione uirginum scinditur. Cæterum membranæ fœtum inuoluentes ex semine nascuntur, quarum prima χόριον dicitur Latinis uero secundina, ut quæ omnia ad fœtum pertinentia contineat, atq; totum uteri sinum ambiat, estq; arterijs & uenis propter nutrimentum contexta, per quam fœtus uteri annexus est, in cuius medio meatus est, qui ex fundo uesicæ urinam haurit, & in membranam alteram eius uicinam transfert. Proxime est ἀλλαντοειδὴς. Tertia ἄμνιος. Est etiam os illud magnum & latum tam in mulieribus quam uiris, quod Græcis ἱερὸν dicitur, estq; basis & ueluti fulcrum quoddam uertebrarũ in fine ipsarum constitutum. Sunt præterea huius oßis processus duo ab utroq; latere in superiori quidem parte, Ilia dicti: In inferiori uero & exteriore ad fœmoris ingressum coxa & coxendix. At uero ἴσχια interdum pro

Membranæ fœtum inuoluentes.

Ilia.

Coxendix.

Ischia.

F coxen-

coxendicibus accipiuntur: interdum pro utraq; oßis ipsius magni seu lati parte, ubi γλουτοὶ, id est, nates quibus intercedendũ totum corpus innititur. Harum tumores seu colliculi κλῶνες, Latinis non admodum uoce dißimili clunes dicuntur. Fœmur μηρὸς à Græcis, superiorẽ partem magni pedis à natibus usq; ad genua comprehendit. Genu γόνυ eo loci incipit quo fœmora tibijs iunguntur & motum efficiunt. Os extrinsecus cartilaginosum, rotundumq; & ad flexum iuncturarum tutelam, μόλη & Latinis mola atq; patella dicitur. Cauitas posterior quæ flexum cruri præbet, poplex appellatur.

Nates. Clunes. Fœmur. Genu.

Crus. Crus à genu subsequitur ad extremum pedem ex duobus oßibus constans, quæ arundines & cannæ atq; uulgo focilia nuncupantur. maius tamen in parte anteriore cruris situm est. Itaq; facile maius aut canna maior & tibia dicitur, Græcis κνήμη, alterum quod ipsis περόνη, extrinsecus est locatum, & focile minus, fibula & sura uocatur, tametsi sura pro carne pulposa posteriori arundini adnata frequentius accipiatur. Clauiculæ extremæ tibiæ, suræq; processum partes σφυρὰ καὶ ἀστράγαλοι, uelut Latinis malleoli & suffragines uocantur. At calcaneus sub σκαφοειδῆ, id est osse nauiculari existit, ossa balistæ quæ in utroq; latere extuberant, suffragines etiam appellantur. Porro pars pedis superior quæ

or quæ quatuor oßibus astruitur est ταρσος, inferior uero quinq; oßibus constans πέδιον ternis internodis non aliter atq; manuum digiti præter pollicem (qui duplici osse tantum constat) alligantur. Postremo ungues qui manuum & pedum extremitatibus adnascuntur, ex craßis & terrenis neruorum recrementis, pilorum modo, generationem & incrementum suscipiunt. Sunt & alia quædam per totum corpus sparsa, quæ quidem ex uberiori aliorum lectione colligere licebit. Huiusmodi ferè sunt aliquot musculi, nerui, tendones, ligamenta, uenæ, arteriæ, fibræ & similia. Musculi ex carne simplici, neruis, ligamentis, uenis & arterijs componuntur, atq; organa motus uoluntarij sunt: & qui ossa non mouent, in tendonem minime desinunt. Porro musculorum motus in agendo non in patiendo actionis efficaciam habent. Tendones ex neruo & ligamento à fine musculorum exeunt: & neruis sunt multo maiores. Neruij (quorum cauitas spiritu animali plena est) à cerebro ex quo uirtutem animalem habent, & spinali medulla, quæ à cerebro fit, trahunt originem. atq; facultatem sensus & motus à principio in partes diducunt. Ligamenta Græcis σύνδεσμοι dicuntur, suntq; neruis similia, quæ ex oßibus originẽ ducunt, & in ossa aut musculos inseruntur, exanguia & alba sunt: sensu omnino & motu carentia. Venæ sanguinis

Vngues.

Musculi ex quibus componantur.

Venæ in quem

usum factæ. guinis generandi & in omnes partes corporis differendi gratia factæ sunt, atq; uim naturalem ab hepate desumunt. quæ quidem sicuti arteriæ ex fibris & membranis constant. Porro uena simplex ex se ipsa nutritur, ueluti ex ea neruus & arteria. ut Galenus lib. 2. facult. nat. indicauit. Cæterum per concoctionem in uenis factam tria redundant excrementorum genera: unū quidem bilis amara dicitur, quæ per iocinoris uesicam expurgatur: alterū bilis atra, quam ad se lien allicit. tertium ueluti serum, quem renes attrahunt. sicuti Galenus lib. 3. de causis sympt. patefecit. Rursus iecoris & uenarum actio per urinas deprehenditur non secus atq; uentriculi per alui recrementa, musculorum ex motu & neruorū sensum.

Iecoris actio unde cognoscitur.

De tendonibus, neruis, & ligamentis, & quomodo inter se differant Galenus in libro de motu musculorum, & primo de usu partium abunde disseruit.

DE FACVLTATIBVS Cap. VIII.

FACVLTATES operationū causæ sunt, atq; totius animalis gubernatrices, quarum principia sunt cerebrū, cor & epar: differentiæ uero robur & imbecillitas. Sūt autē ipsæ facultates (ut etiā in primo de morbis curandis lib. diximus) tres numero.

Facultas animalis.

Prima quidem animalis dicitur, quæ in cerebro hærens

hærens operationibus uoluntarijs præsidet atq; sensum & motum in totum corpus transmittit, quam Græci λογιστικὴν hoc est ratiocinatricem appellarunt. Ratiocinari enim est eorum quæ dicuntur considerare. Item pugnantia consequentiam rerum cognouisse, rationalis facultatis est munus. Ob conuitia autem aut minas nec irasci nec excandescere animosæ facultatis est proprium. Et dum conuenientia in hominibus sunt administrata, cerebrum quidem imperat, cor autem & imperat & obsecundat.

Altera facultas uitalis nuncupatur, in corde domicilium habens, quæ quidem per arterias uniuerso corpori uitam impartit: Græci θυμοειδὴν, id est animosam seu irascibilē appellarunt. Præterea uitalis facultas animalibus alijsq; rebus uegetantib. est insita. Facultas uitalis.

Tertia facultas naturalis in iocinore sedem habet, atq; per uenas in corpus diffusas omnibus membris alimoniam distribuit, Græci ἐπιθυμητικὴν id est, concupiscibilem & θρεπτικὴν hoc est altricem nominant. quæ quidem necessarijs sibi operibus semper uacat, & nunquam torpet aut negligens est. Quæ uerò facultates sub uoluntaria potestate cadunt, frequenter (ubi uoluntas ipsa circa alias actiones detenta fuerit) negligentius agunt. Præterea naturalis hæc facultas quadruplex est, utpote, attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix. Attra- Facultas naturalis. Naturalis facultas quadruplex.

ctrix conuenientem particulæ succum, hoc est, qui parti nutriendæ aßimuletur allicit: Retentrix attractum retinet: concoctrix ipsum alterat & immutat, necnon parti quæ alitur apponit & aßimilat. Expultrix à concoctione quod superuacaneum est, pellit ac segregat, ne sua putredine corpus inficiatur. Cæterum facultates quædam ob familiaritatem rerum tantum agunt, ut sunt attractrix, retentrix, & concoctrix. Sola uero expultrix à noxijs & irritamentis exercetur. Rursus facultas animalis per somnum quiescit, naturalis uerò ualidius operatur: utpotè cum cibus multo melius tum concoquatur, idq; non solum in uentriculo, sed per uniuersum corporis etiam habitum. Porro facultas bifariam læditur, aut propter suam ipsius essentiam, aut propter aliquem morbum in instrumentis, sicuti Galenus lib. 3. de causis sympt. indicauit. Atq; dum naturalis est offensa, id cognoscetur ex sanguinis eiectionibus ab initio aquosis atq; liquoribus, postea uero craßis & fœculentis. Animalis uero facultas ex motuum uoluntariorum imbecillitate: uitalis ex arteriarum pulsu. Et cum naturalis & uitalis facultatis fallax sit roboris iudicium: illius tamen longe rectius ex urinis & egestionibus imbecillitatis signum: huius uero ex pulsu minime fallax iudicium esse potest. Atq; ex facultatibus quatuor naturalibus sola concoctrix sine motu ad locum

Facultates offensæ.

ad locum operatur, quare sicco instrumento non indiguit, sed calido & humido, ut probe concoqueret aleretq;. Reliquæ uero tres nempe attractrix, retentrix, & expultrix, non sine motu munus suum obeunt, & proinde πρακτικὰς, id est, actuosas, Græci uocant. Atq; una quæuis corporis pars, quæ ui propria regitur, has facultates à iocinore pro insiti temperamenti ratione mutuatur. Etenim quatuor facultates naturales quatuor qualitatum temperamenta, unaquæq; suum, sequitur: nihilominus retentrix quantitate, aut qualitate aut utraq; contentorum offensa, ad expellendum incitat expultricem. Quatuor igitur sunt facultates, quibus quælibet pars tum animalis tum plantæ prædita est: Et quibus omnia quæ aluntur corpora, gubernantur. Vna quidem ad se alimentum (ut iam dictum est) attrahit, altera uero ipsum ambit ac continet: Tertia concoquit & assimulat. Postrema inutilia deijcit. Neq; aliud est facultas quæ Græcis δύναμις dicitur, nisi causa quam ἐνέργειαν ipsi uocant ex qua procedit actio.

DE ACTIONIBVS.
Cap. IX.

ACTIO motus est actiuus à facultate procedens. Eius natura duplex est. Vna quidem prima & maxime propria dum pariter om- Actio quid.

nes simplices partes agunt: altera ex accidente, quæ totius est instrumenti. ut totius cruris actio, incessus est qui eo tempore fit dũ articuli illius uicißim nunc extenduntur nunc flectuntur. Est igitur actio motus quidam efficiens, qui ex se fit idq; dupliciter, naturali scilicet ratione seu primaria: ut est cordis & arteriarum motus: & præter naturã, atq; in secunda huius dictionis significatione, quemadmodum in palpitationibus. Cæterum actiones ualidæ ingentium uirium inseparabiles sunt notæ, sicuti Galenus indicauit. Contra uero actionum imbecillitas uires inualidiores ostendit, eo quod mouens causa impediatur. sicuti in languidiore manuum & crurium motione accidit. Porro motricis ipsius facultatis symptomata triplicia dicuntur, utpote immobilitas, diminutus motus, & deprauatus. Actionis interea uitium, non ante pronunciabimus morbum, quam ad sensilem magnitudinem prouenerit, quemadmodum Galenus lib. 1. sanit. tuendæ scriptum reliquit. Præterea actiones duplices potißimum adnumerantur, naturalis uidelicet & animalis. Animalis diuiditur in sensilem motiuam & gubernatricem. Sensilis quinq; differentias sortitur: uisiuam, olfactoriam, gustatricem, auditoriam, atq; factricem. Motiua autem cum unicum duntaxat instrumentum habeat, unum habet tantum motionis modum, Variatur tamen pro particularium instrumen-

Actio.

Gal, lib, de plenitud.

Actiones duplices.

instrumentorum diuersitate. Huius quidem *facultatis uia à cerebro per neruos in totum corpus ducitur. Sic & musculorum, neruorum, tendonum, uoluntarias actiones proprias esse Galenus testatur.* Actionis *itaq; notitia temperamentū & affectus indicant, ut ex motu celeri, biliosum uel sanguineum: ex tardo & lento pituitosum uel melancholicum.* Et cum ex *facultate actio quæuis efficiatur, ubi semel illa deperdita fuerit, actio ipsa nullo modo sequi potest.* Interea *corporales actiones præcipuas pueris: animales uero ei ætati, quæ à pueritia ad remißionem usq; succedit, Galenus lib. 6. sanit. tuendæ monstrat.* Initium au*tem remißionis nonnulli habent statim à trigesimo anno: nonnulli post quintum & trigesimum. atq; robur omnibus post ipsam summi uigoris ætatem imminuitur.* Actiones *igitur quæ ab animali facultate prodeunt, sunt sensus, motus, & ratio.* Sensus, *tum communes ut somnus, uigilia: tum proprij, ut uisus, auditus, gustus, tactus, odoratus.* Quæ *uero à uitali facultate proficiscuntur actiones sunt arteriarum & cordis pulsus atq; motus animi, ueluti iracundia, furor, excandescentia, audacia, metus, morositas, iustitia, lætitia, amor, confidentia, & id genus.* Porro actio*nes quæ à principe facultate prodeunt, sunt cogitatio (quæ imaginationis appellationem interdum sortitur) iudicium & memoria seu discendi promptitudo.*

Lib. ij. sanit. tuend.

Actiones animales.

Actiones uitales.

Actiones naturales.

Naturales uero actiones sunt appetentia cibi, potus, ueneris & huiusmodi, sub quo genere excrementa continentur: quæ cum uniuersi corporis, tum maxime partium unde reijciuntur temperaturam ostendunt, cuiusmodi sunt urinæ, alui deiectiones, sputa, sudores, menstrua, & cerebri defluxiones. Item generatio, auctio, nutritio, atq; similia. Et quemadmodum corporis partes duplices sunt, simplices & compositæ, ita actiones duplices ut iam diximus, primæ à simplicibus partibus, secundæ ab instrumentarijs trahentes originem. nam instrumenta ex simplicibus ex quibus actiones obtinent, componuntur. Instrumenta uocantur ut alibi diximus, partes quibus perfecta actio edi potest, ut sunt oculi, aures, crura, manus & in oculis chrystallinus humor & similia, quorum uisus, auditus, sermo, incessus apprehensio, actiones sunt. Insuper corporis actiones si perfectè suum munus obeant, optimum temperamentum ostendunt & sequuntur, si uero læsæ fuerint, à parte unde ducuntur id habent. nulla siquidem actio læditur, nisi pars ex qua proficiscuntur, prius læsa fuerit. Qui tueri igitur actiones uolet ipsarum temperamentum custodiat oportet. custodiet autem si quod ad calidius est conuersum refrigeret: & quod ad frigidius inclinatum calefaciat. Pari modo si quod ad siccius alteratum humectet, & humentius siccet. Rursus quoq; si

Instrumenta quæ dicantur.

siccabit

ficcabit pariter ac calefaciet, quod humidius & frigidius: & sic in reliquis duabus coniungationibus. Atq; actionis causa quatuor qualitatum mediocris temperies existit. Contra uero intemperies causa est uitij, sicuti Galenus lib. 2 Meth. Med. monet.

DE SPIRITIBVS
Cap. X.

SPIRITVS subtilis est uapor ex sanguine, cordis uirtute incensus, ad actiones exercendas. Cuius principaliora instrumenta pulmonē, cor & thoracē ex Galeni lib. 7. de Anatomicis administrationibus didicimus. Cæterum spiritus ex tenui materia syncerus & clarus nascitur: sicut ex crassa turbulentus & caliginosus. atq; in syncero & lympido, celerius & melius quam in crasso & turbulento rerum imagines compræhenduntur. Porro spiritus primum in corde generationē habent: inde ad cerebrum ubi aliam naturam accipiunt, transmittuntur. In cerebro igitur spiritus quem Animalem uocant, sedem habet, actionibus sensuum & neruis ciendis idoneus. Hoc quidem anima utitur ad uoluntarias functiones. At uero Stoici spiritum esse animam contendunt: sed humidiorem frigidioremq; naturalem, animalem contra aridiorem ac calidiorem. quem quidem spiritum, materiam propriam atq; instrumentum ipsius animæ

Spiritus unde fiant.

esse com-

esse constat. Materiæ autem species temperamentum in commoderata aëreæ, igneæq; substantiæ mixtione consistens, sicuti Gallenus libro cui titulus est de animæ, morum, & corporei temperamenti mutua consecutione. Cæterum cum spiritus hic necessario nutriri debeat, certe rationi est consonum ut Galenus inquit, illic partim ab aëre per inspiratione̅ attracto, partim ex sanguinis euaporatione, nutritionem accedere: contra uero eum assumi per uoluntarias, præcipueq; uiolentas motiones & immodicas exercitationes. impellitur enim haud difficile in quamlibet affectionem, postea uero fatiscit, elanguescitq;. Alter spiritus uitalis dicitur, in corde residens, qui ex inspiratione & humorum uapore gignitur & ad cætera membra calore̅ uitale̅ defert, atq; eis exercendi actiones impertit. Sunt qui tertiam speciem addant, uocantq; spiritu̅ naturale̅, qui sicco, humidoq; alimento proportione, teste Galeno respondet. Hic spiritus in hepate & uenis concluditur, ut sanguine̅ foueat, & in sanguine ipso halitus excitet. Adhæc inter corpus & anima̅ spiritus mediator est, sicuti inter agens & patiens quæda̅ co̅munio, atq; qualis est spiritus, talis est anima & intellectus. Spiritus aute̅ natura̅ sanguinis imitatur: sanguis uero huiusmodi est, cuiusmodi corpus. Rursus temperatura̅ corpus, & temperamenti conditionem intellectus sequitur. Hæc de spiritibus quatenus

Gal. lib. de usu respirat.

Spiritus uitalis.

Gal. lib. ij. de placit. Hipp. & platon.

quatenus præsens nostrum institutum postulat, utpote corpori admixtis. Nam spiritus ille qui prius est corpore anima dicitur, quæ motu interiore ac suo mouetur, æterna est & immortalis, quam quidem optimis in rebus exercere oportet.

Spiritus corpore prior.

DE REBVS NON NATVRAlibus. Et primo de Aëre.

CAP. XI.

HACTENVS DE REBVS naturalibus quæ corpus humanum constituunt, compendiose sumus prosecuti. Nunc de rebus quas non naturales uocant, eo quod corporis constitutionem conseruent, aut etiam immutent offendantq; si oportune exhibitæ non fuerint, simili instituto dicamus. Hæ autem sex sunt numero, aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & uigilia, repletio & inanitio, atq; animi affectus. Aër itaq; nos ambiens (de hoc enim præsenti loco intelligendum) non aliter atq; cibus & potus supra id quod fouet, corpus nostrum pro temporum ratione immutat. Nec solum aër sed omnes aliæ res non naturales, quatenus calefaciunt, refrigerant, humectant, aut exiccant. De aëre & eius triplici regione ubi de elementis loquebamur, dictum fuit. Neq; compendiosa exigit institutio, eadem sæpius inculcare.

DE CI-

DE CIBO ET POTV. Cap. XII.

ALTERA res non naturalis in assumptione alimentorum consistit, ex quibus corpus nutritur reficitur & restituitur. Atq; eorum bonitas, mensura, tempus & distributio conueniens consideranda, siquidem ex ijs recte obseruatis propitij nobis humores generabuntur: contra uero noxij. Bonitatis interea indicium in cibo & potu: ex sapore: leuitate, seu partium tenuitate, & loci delectu, ut plurimum innotescit. Mensuræ etiam est habenda ratio, ut ne ultra quam naturæ conueniant, alimenta ingerantur. Hæc enim plus æquo ingesta, morbum ex Hippocratis sententia gignunt: quandoquidem facultas multitudine ciborum pressa non potest concoquere. Adhæc in utroq; morborum genere nempe acuto & cronico siue diuturno, uictus ratio præscribenda, quæ morbi naturæ aduersetur. In acutis quidē, id est, quibus motus uelox est, tenuis & exquisita, modo ægrotantis uires ferre queant: in diuturnis uero uictus plenior esse debet, ut ualidæ & integræ uires ad morbi uigorem consistere queant ac morbi diuturnitati pares existant. At uero qui sani sunt cibis simili qualitate utantur. natura enim similibus gaudet, sed qui morbo aliquo premuntur ad contrarium

trarium

trarium habitum trahere conuenit. Proinde humidus cibus temperatura humidis confert, ſicuti pueris & mulieribus. quandoquidem nutritio fit cum cibus qui nutrit, corpori quod alit aßimulatur. Citius autem aßimulantur humida humidis, & ſicca ſiccis, quemadmodum Galenus lib.6.ſanit.tuendæ demonſtrauit. Cum igitur concoctio alteratio ſit alimenti ad propriam aliti qualitatem, ſequitur humidiores, molliores'q; cibos pueris eſſe magis peculiares: iuuenibus uero aridiores: contrario modo in his quos morbus aliquis infeſtat, ueluti qui febri uel alio quodam ſicco morbo detinentur. talibus enim uictus humidus (ut qui contrarius ſit) omnibus eſt ex uſu. unde Hippocrates, uictus humidus febricitantibus omnibus confert: præſertim pueris & alijs, qui tali refici uictu ſunt aſſueti. Eſt præterea tum in ſanis tum ægrotantibus aliquid conſuetudini condonandum. præcipue dum quis ualde appetit. nam uentriculus auidè illa amplectitur faciliusq; concoquit, etiamſi aliqua ex parte non conueniant. Cauendum ne ordine præpoſtero cibi & potus ingerantur, id enim fieret ſi liquidiora & lubrificantia, dulciaúe, atq; concoctu faciliora, ſiccis, aſtringentibus, & concoctu difficilioribus poſtponerentur. quæ omnia ſicuti ordine, ita tempeſtiúe adminiſtrari debent. Atq; nulla conuenientior ſeu commodior hora adminiſtrandi uictus, quam cum appetitus

Nutritio quando fiat.

Concoctio quid.

Hipp j.aph. xvj.

Victus adminiſtrandi hora conuenientior.

appetitus allicit, seruatis tamen concoctionum spacijs, & quibusdã præhabitis exercitationibus. Aegri tamen in morborum accessionibus à cibo prorsus abstineant. nam tunc cibus ex sententia Hippocratis noxius est. Aliquando tamen ipsis in accessionibus cibum dare cogimur, quando scilicet calidos & siccos temperamento febris urget. Neq; anni partes in debita & conuenienti uictus ratione negligendæ erunt. Nam quidam cibi uere, alij æstate, alij hyeme, alij autumno magis conueniunt. Vere quidem uti licebit rebus frigidis, amaris, siccis, uentrem mollientibus. Et cum temperata hæc anni pars potissimum sit mediocritatem inter qualitates primas, calidum, frigidum, humidum, siccum, obseruabimus. Aestas calida & sicca cum sit, frigidis & humidis uti oportet, sed usu moderato. Aestate quidẽ & autumno uentres dificillimè cibos ferunt: hyeme facillimè: medio modo in uere. Autumno paulò pleniore & sicciore quam æstate, uictu & uino minus diluto uti licet. Hyeme uero contrarijs sua qualitate nempe cibis & potionibus corpus nostrum calefacientibus & maiori copia quàm in alijs temporibus. nam eo tempore uentres calidissimi sunt, minus tamen bibendum ipsa temporis natura humida cum sit, satis indicat. Est etiam ex calore natiuo in ætatibus indicatio desumenda, ueluti in pueris: qui calidi & humidi: iuuenibus qui

Victus ratio iuxta anni partem obseruanda.

calidi

calidi & sicci, senibus qui frigidi & sicci, contraria confert uictus institutio, atq; pro caloris innati (ex quo cibi appetitus) ratione nutriendum. Senes inquit Hippocrates difficillime ieiunium ferunt: secundo loco iuuenes: minus adolescentes: omnium minimè pueri, præsertim uiuidiores & alacriores. Post cibum cauendi sunt omnes cum corporis tum animi uehementiores motus. Cauenda & uocis contentio, sed tribuenda uentriculo iam cibũ amplexo quies, ut debita fiat concoctio: ijs præsertim in quibus difficilè perficitur. 1. Aph. xiij.

DE MOTV ET QVIETE Cap. XIII.

NVNC de motu & quiete. Motum hoc loco intelligimus quoduis exercitiũ, ut in deambulatione, cursu, saltationibus, luctationibus, disci iactu, pilæ, luctæ, armorum. & ijs quæ in gymnasijs tractari solent. Similiter in fodiendo, metendo & similibus, quorum musculi & nerui robur acquirũt. Item gestationibus, equitationibus & eiusmodi. Porrò cuiuis exercitationi commune est ut ex se ipsa animantibus caloris augmentum excitet, nam temperata dum fuerint exercitia, corporis spiracula laxabunt & aperient, humores extenuabunt diffundentq;, spiritus concitabunt, ac per corpus impellent:

ea tamen conuenienti tempore & seruata mediocritate peragenda, ueluti ante ciborum assumptionem & cum externū cibum uentriculus concoxerit. nam ex cibis nondum probe alteratis, concoctisúe, succi in omnes animales corporis partes (præsertim si fortia fuerint exercitia) sæpißime pelluntur. quo fit, ut corpora non raro lædantur, & insalubria fiant. Nec motui seu exercitio indulgendum, nisi alui & uesicæ prius ductis excrementis, ne quid ex motione eorum quæ continentur, corpus inficiatur. Seruanda etiam in exercitationibus mediocritas, nam immodica exercitatione boni continuo succi aliquid adimitur aut humoris crudi in præcipuas corporis partes confluit. Ab exercitio desistendum, ubi color ille floridus apparebit, & uaporosus calor sudori immiscebitur, maximè uerò si laßitudo adsit aut coloris bonitas euanescat, uel urina mutetur, quæ si mediocriter rufa aut pallens cernatur exercitatione opus esse ostendit. Porrò exercitatio acuta, id est cuius celeres motus sunt, corpus extenuat: contraria crassum reddit: multa corpus siccat, mediocris obesum efficit. Considerandum etiam circa tempus, quo exercitia magis conueniant, nam ueris tempore iuxta meridiem in loco temperato: in æstate ante meridiem calore nondum exuscitato, exercendum: sicuti in hyeme post meridiem in loco prius calefacto, ne quid frigus noceat. At temporis ua-

Ab exercitio quando desistendum.

poris uarietas diuersum exercitij genus requirit, æstate siquidem subtilius, sic exercitationum genera alia lumbos potius aut brachia aut crura fatigant: alia spinam totam aut thoracem seu pulmones. Sub motu frictio comprehenditur, quam partibus infirmis, quo tempore laborant, adhibere non conuenit. Sunt interea frictionum sex differentiæ, dura, mollis: multa, mediocris, aspera, lenis. Dura cogit, constringit, densat, seu tactu durum corpus efficit: Mollis semper molle tenerumq; reddit, & liberum excrementis exitum præbet, siue exigua siue mediocris siue multa fuerit. Proinde laxiora corpora duriter, coacta uero & astricta molliter fricare licet. nam his quæ tensa sunt maxime aduersum est id quod durum efficit. affectumq; adauget: contra uerò quod mollit utilissimum est. At si quis temperato corpore sit præditus, nullo modo fricandus est, imo ab omni excessu cauendus. Tandem si tribus ijs frictionum discriminibus quæ à quantitate sumuntur: nempe multa, pauca, & mediocris: tria quæ à qualitate ducuntur copulauerimus, utpote dura, mollis & mediocris, nouem syzygias absoluemus in huuc modum.

Frictionum differentiæ.

Multa.	Dura. Mollis. Medioc.	Pauca.	Mollis. Dura. Medioc.	Mediocris.	Moderata. Dura. Mollis.

Multa enim & dura frictio contrahit, constringit, atq; gracilitatem præbet, Mollis euaporat seu per halitum digerit, calefacit, cutis spiracula laxat, dilatat & liquat. quibus de causis humores per corporis summas partes diffusi incalescunt, extenuantur, & liquefiunt, qui demũ sponte sua dißipantur. Eadem planè efficit unctio, sed ualidius. Mediocris æqualitatem inducit, hoc est, implet diminuta, quæ si mollis fuerit, leuiter carnẽ remittit. Atq; mediocris uim augendi & incrassandi habet quæ si aspera, ad exteriora sanguinem trahit, quem lenis in partibus retinet. Interea mane à somno omnes qui ægrotant, sicuti nec senes, fricandi sunt. Porrò exercitatio instrumentarias corporis partes promptiores & morbis minus obnoxias reddit, cibos melius & promptius caloris beneficio attrahit & alterat, meatus, id est, poros expurgat & corporis ob uehementem spiritus motionem redundantiam euacuat, ad motum etiam excrementa alioqui quiescentia. Id quod sol, balneum, & ex animi affectibus ira, præstant: Insurgunt etiam ex se ipsis ad motum excrementa, si uel calefiant uel extenuentur uel in spiritum degenerent. sicuti Galenus lib. 2. de sympt. causis scriptum reliquit. At senum imbecillas partes exercere non licet. Ex cæteris quanto quisq; à senio remotior fuerit, tantò illi magis exercitanda pars infirma est. Pueri tamen quia eorum tum

rum tum humidum tum tenerum corpus est paucis frictionibus indigent, sed qui carnis augendæ causa fricantur, ijs ad summum ferè tumorem facienda est frictio. Est tamen uidendũ, ne frictione, balneo, aliaúe exercitatione, mediocritatem seu moderatam rationem excedamus: ne corporis habitus durior, molliorúe plus æquo reddatur: quippe hic ab extrinsecis facile offenditur. Vbi satis exercitatum fuerit ἀποθεραπεία, id est, ea frixionum portione, quæ post exercitationem adhibetur, utendum erit. Hæc duplici consilio, ut Galenus docet, suscipitur. Primum ut membra firmet, & expurget excrementa: alterum, ut laßitudinem quæ immodico exercitio solet succedere, submoueat, atq; prohibeat. Cauendum ne corpus post frictiones aliaue exercitia frigescat ac densescat, dum nulla ope externa calefit. Hac igitur de causa non solum cum celeritate est fricandum, sed etiam quod fieri potest plurium manibus, quo nulla corporis pars nuda maneat. At si nec duram nec tardam esse frictionem expediat, oleum, cui nulla astringendi uis insit corpori fricando affuse circumfundi debet, id enim ad uelocitatem simul & mollitiem frictionis multum conducet & alioquin aliud secum non mediocre commodum adfert, quando & quæ tensa sunt remittit, & quæ inter uehementius laborandum fatigata sunt emollit, ubi dura frictio minime esset adhibenda.

Apotherapsia.

Libro iij. sanit. tuend.

benda. Porrò extendendæ in apotherapia ſunt partes dum fricantur, ut quicquid inter cutem & ſubiectam carnem excrementorum reſidet deorſum per poros feratur. nonnunquam & faſciarum circumactus fieri conuenit, de quibus iam dicto loco plura Galenus ſcripſit. Poſt uigilias uel triſtitiam, uel ambas, apotherapia exercitatio idonea erit: ſi malo abſit cruditas. Eſt & alia frictionum differentia quæ præparatoria dicitur, hæc non ſolum motus tum celeritate, tum robore calorem excitat; uerum etiam habitum cogit atq; contrahit.

Nunc de triplici balneorũ differentia magis uſitata paucis perſtringamus. Prima quidem aërea dicitur, cum quis in piſcina uacua, ſed optime tecta ſedet, ita ut à uaſe in quo herbæ decoquuntur per quendam canalem ipſarum fumus ad piſcinam deferatur. Altera differentia ignea dicitur quando quis ſuper lapides ignitos deſidet ad ſudorem prouocandum, ut fieri ſolet in hydropiſi & alijs tumoribus: Tertia aquea eſt, quando ſcilicet aqua nunc frigida nunc calida adhibetur, atq; pro aquarũ uarietate uarijs morbis auxilio eſſe poteſt. Cæterum aqua frigida condenſat, conſtipat, contrahit, conſtringit & repercutit, ſicuti extremè feruida adurit: At ſi temperata adhibeatur & moderatè calida, laxat, rarefacit, fundit & digerit. Adhæc ſi ex aqua dulci balnea fiant hume-

Balnea ex aqua dulci.

ctabunt

ctabunt plurimum & emollient, & suo madore ca-
loreq; spiracula laxant remittuntq;: humores calefa-
ciunt, extenuant, colliquant, fluxilesq; reddunt, et ex
summis intimisq; corporis regionibus foras euocãt,
qui si tenues fuerint, eos dißipant, craßiores quos nõ
discusserint, cõmouent perturbantq; adeo ut plerũq;
in partem aliquam imbecillam uel morbo laboran-
tem confluant, idq; potißimum si plenitudo quædam
uenis insit. Si uero ex non dulci, siccabunt, præsertim
quando ex speciebus terræ mixturam ingredientibus
constãt, ueluti ex salsa, amara, sulphurea quæ calefa-
ciunt & siccant. Et aluminosa gypso mixta quæ in-
frigidant & exiccant. Vtilitates ac commoda quæ
ex balneis proueniunt ferè sunt pororum apertio, re-
solutio humiditatum, concoctio nutrimenti, attractio
ad circumferentiam, & uarij generis affectionum se-
datio. Signum interea percommodum speratæ ex
balneo utilitatis est: somnus ab eo: è diuerso non
posse à balneo dormire, nec causa nec signum est com-
modum, ueluti Galenus lib. 4. sanit. tuend. docet.
Rursus incommoda quæ ex balneis accidere possunt,
sunt corporis laßitudo, neruorũ imbecillitas, caloris
naturalis resolutio. possunt quidem calorem contra-
riũ naturæ inducere, superfluitatesq; ad membra de-
bilia deferre: & appetitum cibi & ueneris deijcere,
attamen aquæ frigidæ lauatio, appetitum proritat &

Vtilitates et incommoda ex balneis.

Signum a balneo percommodum.

sitim minuit, Cæterum pingues & obesi ante ciborum absumptionem balnea ingrediantur, macilenti uero post eam, facta tamẽ cibi prius ingesti concoctione. nam qui à cibo lauantur, grauitas aut densitas dextri præcordij (ubi iecur situm est) sentire solent, quod si id contingeret dandum ilico est quod obstructum iecur liberet, ueluti est liquor in quo macerata sit absinthij coma, uel quod tum ex ea, tum ex aniso & amigdalis amaris conficitur, & alia id genus quæ deopilandi facultatem obtineant. Abstinendum ab ijs cibis qui crassum efficiunt succum. & potißimum si tales glutinosi sint. Præterea balneum aquæ frigidæ non cui uis ætati conuenit. etenim qui senes sunt, aut qui uomitu, fastidio, iugilijs, reumate & huiusmodi laborant, balneum hoc obesset. Quibus autem conuenit, ijs æstatis tempore & hora quadam calidiore & opaca magis est ex usu, Solemus etiam post balneum aquæ calidæ, alteram temperatè frigidam aquam superinfundere, propter confirmationem caloris naturalis, qui sic ad interiora repulsus fortius se exerit ac extendit. Cæterum temperatum corpus quod augescit non est frigida lauandum, ne eius incrementum remoretur: Vbi uero abunde est auctum, iam frigidæ assuefaciendum utq; tum corpus uniuersum, tum cutem densam, duramq; efficiat, quod sane tutißimum est aduersus noxas quæ extrinsecus eminent. In quibus porrò

Balneum aquæ frigidæ quibus [illegible] conueniat.

bus porrò

bus porrò calor sua natura est adeo mordax ut fumida gignat excrementa, ijs balneum salubre est: sicuti & motus qui exiguus & lentus sit: multus autem calor aduersißimus esset. uerum illis non semel modo sed etiam bis die lauari, præsertim æstate conducet, Sunt etiam qui nisi balneis uterentur in febrem corruerent, ob fuliginosa quibus abundant recrementa. neq; ob id solum sani lauacris se committunt sed nitoris & elegantiæ causa: Valetudinarij uero & laboribus defatigati refocillandis uiribus, balnea ingrediuntur. Balnea insuper dulcia calefactarum aquarum, si media temperie sint, uis calida & humida eis inest, sin tepidiora fuerint, humida & frigida. Quod si iusto calidiora fiant calida quidem sed non perinde humida, quippe corporis exiles meatus contrahunt, unde expurgari non possunt, sed ab ijs incipiendum quæ medium temperamentum obtinent. Aestus etiam qui uel ab ambiente nos aëre uel à thermis existit, eadē quæ balneum efficit, ac simili ratione humores è corpore per habitum cutimq; dißipat. Cæterum apotherapiæ pars aliqua balneo adhibita, necessaria est: ut quæ duras densasq; partes emollit, excrementum putre si quod intus ad cutem euocat. **Balneorum calidorum uis.**

Nunc de quiete cui contrarius labor seu motus est paucis agamus. Illa non secus atq; exercituum ad sanitatem tuendam consideranda. Vtrumq; enim

si immodice aut alio tempore quam debeat, administretur, maximo nocumento esse solet. Siquidem crudos humores in corpore parit & acceruat, utpote cum calorem extingat & excrementa procreet, quæ corpus refrigerant & humectant: si uero moderata fuerit præter id quod laßitudinem infert, uirtutem animalem, uitalem & naturalem adimit, concoquuntur enim quiete & somno semicocta.

DE SOMNO ET VIGILIA. Cap. XIIII.

Somnus quid.

SOMNVS est facultatis animalis requies, ab utili humore cerebrum irrigante proficiscens. Conducit quidem ea quies ad recreandas tres uirtutes, ad irrigationem cerebri & neruorum, ad generandos spiritus, & ad perficiendum uentriculi & hepatis officium. Toto namq; tempore quo quis dormit, animalem facultatem quiescere, naturalem uero ualidius agere Galenus lib. 1. de symp. cauf. ostendit. Adhæc qui mediocri somno indulgent, ad omnia prompti & alacres iudicantur, sensuum quoq; uiuacitate gaudent, nam somnus (ex quo calor intro agitur) moderatè sumptus molestias & lassationes discutit, facultatem alteratricem tum in uentriculo, tum in uenis & arterijs adiuuat: & inter concoquendum uapores deferuntur. præsertim in cerebrum, qui quia

qui quidem postquam refrigerati sunt humectant, & pro humoris inculpati abundantia somnū inducunt, Ex somno etiam nutritiua & generatiua potentia suas exercent operationes, unde spermatis pruritus & uenereæ cupiditati locus tribuitur. Sed nimio somno dediti, oscitabundi, desides, graues, hebetis obtusiq; ingenij & iudicij, nec non ad ea quæ ipsis conueniunt inepti manent. Est igitur somni tam in sanis, qàum ægris habenda ratio, idq; pro temporis spacio et forma decubitus. ueluti à cœna post aliquod interuallum conuenientißimum. Diurnus autem somnus fugiendus, nisi ex consuetudine habeatur, eo quod cerebrum magis humectet, unde distillationes & alia non pauca incommoda suboriuntur, ex quibus morbi frigidi, utpote cum per id tempus concoctio non probe perficiatur. Id autem ostendunt acidi ructus & flatus, ob interruptam ante tempus concoctionē. Cæterum qui somni limitem præscripserunt, ijs septem horarum aut circiter meta fuit, sed quid certi agant, non uideo. alij siquidē maiore, alij minore pro humoris somnifici abundantia somno egent. Sed nemini ad extremam usq; saturitatem indulgere fas est. Formam quoq; decubitus non pauci sic obseruandam tradunt, ut lateri dextro prius dormituri innitantur, ne hiet ostiolum uentriculi: & ut epatis concoctio adiuuetur: postea sinistro, ut ea ratione splenis calor augeatur.

Somnus diurnus cur fugiendus.

augeatur. Supinus autem decubitus concedendus non est: ex hoc enim fit defluxus superfluitatum ad posteriora, & facultas expultrix non potest per nares & palatum suas operationes exercere, unde apoplexiæ, neruorum resolutiones, & similia: præterea inflammatione uiscerum internorũ laborantibus & accessionum principijs commodum non est, quia calor qui intrinsecus ex sopore agitur, sanguinem attractum inflamat, & crudos succos digeri non sinit. In alijs autem morbis, ubi somnus conuenit, si in alterutrum latus ægrotus iaceat, id bonum ex Hippocratis sententia iudicandum. Illud enim robur facultatis indicat per musculos firmantis corpus: sicuti rursus debilitatem, ubi cubare æger in latus non queat, quando scilicet alterum latus sit impotens ad alterum ferendum, quibus dorsum fortius existit. Inspicere etiam oportet si à somno sese æger melius habeat, id enim bonum est, si contrariò eueniat malum. In quo enim morbo somnus laborem facit, mortale si uerò iuuet: non mortale. Rursus cum uirtutem animalem somnus laxet, ieiunis & fame laborantibus minime conuenit: Repletur inde caput fumis & euaporationibus eleuatis ab excrementosa materia. quæ in uentriculo & in intestinis retinetur. Somnus igitur & uigilia si modum excesserint mala esse iudicauit Hippocrates Sic in 6. Epid Somnus, labor, cibus, potus,

Progn. xvj.

Aph. iij. lib. ij.

potus, uenus, omnia mediocria inquit esse debent.

Vigiliæ quæ supra modum excedunt, cerebri temperaturam demolliuntur, ac uirtutē animalem deijciunt, cruditates ac grauedines efficiunt, generantq; morbos acutos, phrenitin, manian, melancholiam & id genus. Atq; ut per somnum calor intro reuocatur, sic per uigilias foris mouetur, unde cordis spirationem multo fortiorem dormientibus, propter reuocati caloris abundantiam, quam uigilantibus inesse certum est. Similiter cum per uigilias calor in ambientem aërem foris dißipetur, spiritus etiam suis obeundis functionibus parum sunt idonei. idcirco dum quis uel mœrore uel sollicitudine seu alio quouis affectu somnum subire non potest, in primis mœstitiam quæ affligit pro uirili deponat, mox suauium sonorū auscultationibus mentis considerationem applicet. Ego quidem non infrequenter ad littus aquæ (pacato descensu) fluentis uel sub ramosa quadam arbore alioúe opaco quodam loco me quieti tradidisse animum induxi, alioqui indulgere somno uix potuissem, quando scilicet studio alijsúe occupationibus detinebar. Conducunt etiam balnea uespertina facta prius assumptorum concoctione: Item alimenta quæ humectandi & infrigidandi simul facultatem obtineant, ueluti lactucæ, pisces facile alterabiles & huiusmodi.

Huc referuntur somnia, quæ imagines sunt per somnum

somnum factæ, utpote quando hi spiritus qui cogitationum instrumenta dicuntur, in cerebro discurrunt & ueluti effigiem quandam repræsentant. Quibus itaq; cerebrum est calidum & humidum, ij pluribus & uarijs monstrosisq; somniorũ generibus magis uexantur, propter calorẽ uirtutem animalem excitantem & humorem caliginosum sensim efficientem. nam quæ in somnijs apparere uidentur magna ex parte corporis affectionem humorumq; naturam, plenitudinem, defectum ac qualitatem ostendunt. Veluti qui ægre se moueri putant, aut grauia onera gestare, aut in ea re impediri quam se efficere somniant, animalem facultatem plenitudine aut craßitie aut uiscositate humorum deprauatam habere conijciendum. Contra qui se uolare uel currere ocißimè putant, humores paucos eosq; leues minimeq; excrementosos habere uerisimile est. Et qui nocturnas ueneris imaginationes patiuntur, semine genitali abundare. Ad eundem modũ qui in locis fœtentibus, sordidis, immundis, se uolutari existimant, eos in corpore materiem putrem corruptam ac grauiter olentem habere suspicio est. Quemadmodum qui in locis odoriferis & benè olentibus se esse uidentur, materiam probam & inculpabilem. Igitur ex humorum redundantia (unde spiritus mouentur) ex eo quod exuperat iuxta temperamentũ imaginationes huiusmodi efficiuntur,

Ex somnijs præsagia.

ut san=

ut sanguinei ob lætam & aëream crasin, de rebus rubris, pulchris & amœnis somniant: & frequenter se uolare existimant. Cholerici de igne, bellis, iurgijs & contentionibus. phlegmatici de aqua, glacie, niue, & eiusmodi. Melancholici de terra, rebus grauidis tenebrosis & tristibus aut timorem inducentibus, quando scilicet falsæ rerum species (quæ phantasmata dicuntur) dormientib. obijciuntur. unde Tibullus.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

In summa humorũ qualitates similia sibi somnia gignunt. Similiter sonitus aurium flatus adesse indicant. Affectiones porrò corporis animus sentit, nisi in rebus externis, tunc enim somnia corporis affectionem non significant. Proinde cum corporis ipsius ualetudinem tam prosperam quam aduersam per somnia uoluerimus dijudicare, interrogandus qui somniauit, an curæ siue alia quædam quæ concupiuerit consueueritq; præcesserint. quod si horum aliquid fateatur de corporea affectione ex somnijs rectè iudicari non potest. Cæterum infantuli non somniant, ut qui plurimum calore agitentur, crassoq; ac indefecato adhuc uapore abundent, Quemadmodum nec statim à cibo & potu caput replentibus & agitantibus ijs qui dormiunt apparent somnia, sed maxime post mediũ somni, ubi uapores sensim mittuntur, atq; subtiliores euadunt. **Infantuli cur non somniant.**

DE RE-

DE REPLITIONE ET INANItione. Cap. XV

Plenitudo quid

PLENITVDO quæ Græcis πλῆθος & πληθώρα dicitur, succorum est utilium in animantis corpore (præsertim in uenis atq; in corporis habitu) redundantia. Fit autem quando humores æqualiter adaucti qualitate, aut quãtitate excedunt: uel cum exiguum quendam excessum unus inter eos accepit. Quæ autem plenitudo qualitatis uitio peccat, fit quoties immodicè tenues uel craßi humores redduntur, aut cum bilis præter modum efferuescit, pituita uel melancholia existente frigidiore. Quantitatis uero uitium est, quum succi omnes, seruata qualitatis mediocritate, supra iustam & naturæ congruentem mensuram accumulentur, ac crescunt, adeoq; exuperant ut corporis uniuersa moles intumescat, & uenæ supra modum plenæ tensionis sensum inuehant. Huius plenitudinis duo sunt genera ut etiam in commentarijs Aph. Hippocratis scripsimus. Vnum quidem secundum robur, seu ad uires & quando scilicet æqualis humorum multitudo adaucta corpus afficit, quæ quidem purgatione eget. interdum & modica sanguinis mißione. Si interea non afficiat, nec morbus adsit, ea plenitudo commodius imminuetur inædijs, moderata exercitatione, atq; ijs quæ con-

Plenitudo quã do fiat.

Aph. iij. lib. j.

coctionem

coctionem iuuant: maxime autem si sanguis nulla corruptionis labe consperſus ſit: Alterum plenitudinis genus, ſimpliciter, abſolutè & ad uaſorum capacitatē dicitur, nempe cum purus ſanguis reliquos in permixtione ſuccos magnopere uincit, adeoq; exuperat, ut uenas quoquouerſum inflet, ac diſtendat & per ſanguinis miſsionē (nō enim aliò uacuandi genere tuto demi poteſt) imminui exigit. Porrò plenitudinis notæ ſeu ſigna ex tempore præterito, præſenti, & futuro deſumuntur. Ex præterito quidem. Vt ſi uita ocioſa fuerit, & uictus ratio aliqua ex parte quā ante liberalior. Item excrementorum ſuppreſsio. Ex præſenti uerò ut ſi totius corporis adſit grauitas uel partium quarundam tenſio. quod quidem actionum imbecillitas ſeu uirtus infirma indicabit, dum id quod illa mouet impeditur. Præterea laſsitudinis ſtatus, grauitas ſenſus, ulceroſa diſpoſitio, uenarum tumor, interdū etiam rubor (ſed hic ſi extrinſecus eueniat) utpote ex ſole, balneo, exercitatione, itinere, calore, ira, febri acuta, & ſimilibus, iam non ſanguinem indicat, ſed ab his, ſi æqualis totius corporis diſpoſitio fuerit, rubor ſanguinis copiam in corpore animantis oſtendit. Ex futuro, quod hoc uitio laborantes, ſi euacuentur, conualeſcunt. Atq; plenitudinis ex præpollentis humoris colore cognoſcetur. Siquidem rubicundus color ſanguinem: ſubpallidus bilem flauam: &

Plenitudinis ſigna:

qui supra naturalem habitum albescit, pituitam: quemadmodum nigrescens, bilem atram abundantem indicabunt. Nihilominus in singulis sanguinem coauctum esse potest, nam si sola pallida bilis aliquando superauerit, sicuti in morbo regio, non adhuc plenitudo, neq; ad hanc dispositio est, sed uitiosus tantum humor. Eodem modo de pituita & atra bile dicendum. Ad hæc plenitudinem siue ex uiribus siue ex continentium capacitate, unus humor efficere nõ potest, quod Galenus ijs uerbis indicauit. Vbi corpus inquit uel flaua bile, uel nigra, uel pituita, uel serosis humoribus refertum fuerit, eum habitum cacochimiam, quasi succorum uitium, & non plethoram appellabimus. Nec facescere negotium cuiquã debet quod idem Galenus lib. 2. de comp. Med. secundum locos hunc in modum scripsit. Fit autem plethora quatuor humoribus proportione auctis, aut solo sanguine. Hic de impuro & alijs humoribus mixto intelligi uoluit. Venarum siquidem sanguis nequaquam simplex est, sed ex pituitæ, utriusq; bilis, & sanguinis puri permixtione conflatus, atq; hos etiam succos usu dicendi, sanguinis appellatione designamus.

Euacuationum differentiæ.

Nunc de inanitione seu euacuatione dicendum. Euacuationum igitur differentiæ duæ potißimũ constituuntur. Altera uniuersalis quæ cõmuniter ab uniuerso corpore materiam subtrahit: sicuti in sudore

seu trans-

seu transpiratione insensibili, sanguinis profusione, uomitu & alui subductione. Sudor seu per cutem euaporatio, primo è corporis habitu ducit, secundo è uenis & arterijs grandioribus. Postremo ex uisceribus & intima corporis regione, & est succorũ qui in uniuerso corpore abundant, nota. Sanguinis profusio primum uenas exhaurit & arterias illis anastomosi coniunctas. deinde corporis molem, ipsaq; uiscera ad primas usq; uenas progreßionem faciens. Vomitio primum quidem, ac maxime uentriculum, postea si persistit, uiscera & uenas maiores, ultimo corporis habitum expurgat. Sed ijs qui pectus astrictum habent non conuenit, sicuti Asthmaticis, phthisicis & Empijs, nec non ijs qui peripneumonia laborant. Conuenit tamen uomitus gracilibus & facile uomentibus, quemadmodum Hippocrates indicauit. Frequens interea uomitus, auditui, dentibus & inueteratis capitis doloribus obest. Alui deiectio primum & abunde intestina, uentriculum, uiscera, primasq; uenas, quæ Mesaraice dicuntur, deinde uenas maiores, postremo minores & corporis habitum euacuat. Sic & particularis euacuatio partem aliquam excrementorum onere pressam, leuat. Itaq; cerebrum & nares per palatũ expurgantur, pulmones & pectoris uitia per tracheam arteriam dum tußis excitatur. Arenulæ & pus per urinas. Vterus & he-

Sudor unde ducat.

Vomitio quas partes expurget.

Aph. liij. libr. vj.

Alui deiectio unde uacuet.

morrhoides, sanguinis profusione. Atq; frequenter euacuatio sua sponte & citra ullam medicationem, sed naturæ benefecio, uel imbecillitate sequitur: Interdum externi subsidij ope quæ bipartito scinditur, uel enim legitima est excretio, quantitate uel qualitate negocium facessens exterminat. Altera uero huic contraria est. Vtilem enim & qui in nullo uitio est, humorum culpa seu inscitia medentium excludit. Nobis interea prospectum esse debet ut eos duntaxat humores euacuemus qui uiribus incommodant. Atq; uarijs subsidiorum generibus nonnunquam opus est. sicuti scalpello, aut hyrudinibus, aut medicamentis, quæ ora uenarum reserent: Interdum medicamento purgante, quo noxij humores è corpore eliciantur, deijcianturq; siue id uomitione, siue deiectione fiat. Sunt etiam inuenta ad hoc auxilij genus exercitia, frictiones, balnea, præsertim nitrosa, sulphurea aut bituminosa. similiter æstus & motiones & ex accidenti inedia. Rursus Errhina quæ uocantur, medicamenta, cerebrũ per nares expurgant: Apophlegmatismi per palatũ. Bechica medicamenta pectus & pulmones: sicuti diuretica renes & uesicam: Et hysterica uteri menses. Hæc medicamenta à loco per quem ducunt denominationem obtinent. Aluum insuper resoluunt balani & clysteres. Sed quia in usu exercitationeq; medendi uniuersalem euacuationem particulari

ticulari præferimus, primum à uenæ sectione, ut quæ omnium euacuationum simplicißima, auspicamur. Nec interea uenæ sectio, sicuti purgatio uitiosum quempiam humorem seligit, detrahitq́; : sed tam putridum quam benignum. Alia tamen est ratio in criticis diebus, ubi infestum humorem concoctione præparatum ab alijs natura segregat & excludit. idq́; sensim & per uias idoneas. quo tempore si uena incideretur, neq; in eam fortasse uiam traduceret, neq; tantulo tempore dum sanguis sua ui fertur, uitiosum humorem secernere ualeret. Porrò sanguinis serum per summa innatat, urinæ haud absimile. Bilis tenuis & florida concreti sanguinis pars fit suprema: Melancholia subsidet: Sanguis rubentior & pituita pallidior. atq; hæc quidem conspicamur dum sanguis integer est & laudabilis. Ex quibus notum esse potest omnium humorũ, qui in uenis reconditi sunt, incisa uena, æquabilem uacuationem fieri, quæ ad indigentiam uniuersum corpus euacuat, non quidem æqualiter, sed ualidius partes quæ è directo & proximiores, quam quæ è transuerso & remotiores, quas potius reuellit & alio transfert. At uero purgatio quæ uel spontè interioreq́; motu procedit, uel externo impulsu & medicamentorum administratione, non sic æquabiliter omnes, sed quempiam corruptum humorem (nunquam tamen sanguinem purum & synce-

Humores in sanguine quomodo discernendi.

Purgatio dupliciter fit.

ſyncerum) euacuat. Cæterum cui totus uenarum humor bilioſus ſeu ardentiſsimus aut totus in Melancholicum uerſus apparet, ſecanda uena non eſt, quemadmodum neq; iis quibus magnopere pituitoſus & crudus humor in uenas & corporis habitum effunditur. Sic enim Galenus prohibet uenam incidere cui ſanguinis moles plurimum à qualitatis mediocritate recesserit, aut cui bonus idemq; purus ſanguis & paucus eſt, reliquis uero ſuccus plurimus. quocirca in ſimplici cacochymia non uenæ ſectione ſed purgatione utendum. Rurſus in morbis ex plenitudine cum robur aut ætas non patitur, purgatio uenæ ſectioni præferri debet. etenim uena intempeſtiue ſecta ſpiritum cum ſanguine exhaurit, ingenitũ calorem eripit, & diſsipat. principes partes refrigerat & extinguit. Hinc hydrops, cruditas, cacheſia, aliaq; incommoda. Vbi igitur alius humor ſanguinem exuperat, ſanguinis euacuatio fieri non debet: ueluti in iis qui Ictero, uel febri tertiana, uel melancholico affectu, ſiue naturali, ſiue acquiſititio laborent. Sed humoribus quando uitium ex plenitudinis & cachochymiæ permixtione conflatũ ineſt, uena ſecta eſt ex uſu: grauẽ enim & periculoſam affectionem tuto & repente imminuit, qualem nec inedia nec exercitium, aut aliud uacuandi genus poſſet expellere. Porrò quum impuriore ſanguine ex plenitudinis & cacochymiæ permixtione

Quando purgatio ſectioni uenæ præferri debeat.

Sanguis euacuatio quando fieri non debeat.

ne uenæ implentur, utrumq; euacuationis genus conueniet. Vt si adsit melancholica plenitudo, qua naturæ inclinatione sanguis in Melancholiam uergat propendatq; aut influentis Melancholiæ uitio contaminetur, antequam expurgetur, uenæ sectione erit minuenda, parcius tamen quam quæ biliosa est. At pituitosa plenitudo omniũ maxime sanguinis emißionem recusat, eo quod uirium imbecillitate & frigore non mediocri polleat. At cum plenitudo seu bilis alterutrius fuerit, seu pituitæ, modica cacochymia labefactatur, sanguis quidem in primis detrahendus, tum aluus moderatè deijcienda, ut noxius humor, qui superest expurgetur: Sin uerò maior cacochymia compareat, tum item sanguinis mißioni primas concedemus, sed in minori quantitate, mox largius purgandum: quod si in uasis plenitudinis & cacochymiæ fuerit æqualitas, ab utrolibet uacuationis genere, nullo delectu habito inchoandum. Verumtamen cum nimia uasorum plenitudo obstructiones excitet, atq; idcirco purgationibus obsit, cum etiam medicamentum ex calore & trahendi facultate humores exagitet perturbetq; corpus: id sane in grauißimum discrimen plectoricos adducit. quocirca tum uenæ sectio præmittenda est: si uerò par insit remediorum neceßitas, ipsa medendi ratio ab eo exordium ducere Galenus iubet, sine quo alterũ tuto exequi non potest.

Atq; imminuta plenitudine quæcunq; putrida aut aliter inquinata superant, ac resident per aluum, urinas & sudores exhaurire tentandum. Venæ sectio igitur morborum omnium quicunq; ex sanguinis affluentia & ubertate, uel ex quauis illius eruptione originem traxerunt, proprium est remedium, siue præsentes fuerint morbi, siue tantum immineant. Eius generis maxime sunt febris synochus, tum ea quæ citra putredinem ex sola fit sanguinis efferuescentia, tum quæ ex putrescente accenditur. Sic & phrenitis, ophthalmia, parothides, angina, pleuritis, peripneumonia, iecoris, lienis, renum, pudendorum, uteri, inguinum, brachiorum, crurum, articulorum, omnium deniq; tum internarum, tum externarum partium inflãmationes, quæ Græcis φλέγμοναι nuncupantur. Fiunt autem dum aperta uena, rupta uel exesa, delapsus sanguis & abundantior congestus in tumorem extuberat. Istis finitimi sunt sputum sanguinis, incipiensq; tabes, sanguinis uomitio, & è naribus, utero, uel hæmorrhoidibus eruptio, atq; per horum initia statim opposito loco secta uena fluxionis impetum sistit, reuulsionisq; nonnihil ex affecta parte reuocat. Est igitur uenæ sectio proprium ac conueniens istis affectionibus remedium, ut quæ ex boni laudabilisq; sanguinis plenitudine ortus sui primordia acceperit. Qui uero morbi impuriore ple-

Venæ sectio quibus morbis conueniat.

nitudine

nitudine emerſerunt, ut ſunt iſtis plurimum cognati: ita & uena ſecta curari deſiderant. In quo genere ſunt febres putridæ tum continuæ tum intermittentes. quando ſcilicet putredinis atq; obſtructionis præcipua cauſa fuerit immodica plenitudo ſeu repletio: In hoc etiam genere conſiſtunt capitis & aurium pulſans dolor, læthargus, uertigo, apoplexia quædam & Epilepſia, acris mordaxq́; fluxio, cordis quædam palpitatio, arthritis calida, & quæcunq; ad horum naturam pertinent. Sed in hac uerborum ſerie, hæ febres duntaxat intelliguntur, quarũ cauſa ex plenitudine naſcitur. atq; in his ſaluberrimum eſt uenam incidere. Cæterum quoties obtigerit infartum (ex quo febres accenduntur) alijs quibuſdam ex cauſis enaſci, nulla profundendi ſanguinis neceßitas compellit. Interdum citra multitudinem, uel etiam in penuria, uena inciditur dum à cauſis externis (quales ſunt cõturbatio, dolor, ardor) in aliquã particulã ſanguis rapitur, & incumbit. tunc phlegmatis periculũ imminet. Item in morbis conſuetudinarijs, quæ modica plenitudine corripiuntur, anteuertere oportet & uenæ ſectione prohibendũ ne morbus fiat, ſed multo adhuc magis cum immodica plenitudo formidinem & diſcrimen inijcit, uel ruptionis apertionisq́; uaſorum, uel ſuffocantis obſtructionis, ſanguis omni abiecta cunctatione emittendus, tametſi non=

dum ægrotet homo: maxime uerò si qua mariscarum aut mensium aut narium, sanguinis consueta euacuatio substiterit. Intemperantes & uinosi, phlebotomiæ fructus & commoda minimè sentiunt. quinimo plerumq; ab ea læduntur, dum bidui triduiúe spacio sese magis quam ante crudioribus succis implent. Tantum igitur momenti ac ponderis obtinet moderata uictus ratio ad morbos deuitandos curandosq; ut citra hanc nullius subsidij sit uenæ sectio. Neq; uero sola mißio sanguinis plethoram subtrahit & diminuit, sed etiam balneum, frequens exercitatio, frictio, unctio calida & inedia, quibus certe omnibus summa uis & facultas exinaniendi tributa est. uerum ijs non citra delectum utemur. Quæcunq; enim plenitudo maxima fuerit, & uenas quoquouersum distendit: aut moderata quidem, sed quæ uel febrem uel phlegmonem præsentem iam habet, aut quæ ex mensiũ hæmorrhoidarũ & huiusmodi eruptione suppressa proficiscitur, ea nec exercitatione nec multa frictione, unctione calida, aut balneo sine discrimine curari potest. Hæc enim uacuandi genera humores exagitant, pariter fluxionis impetum excitant ac mouent, morbosq; ex plenitudine inuehunt & augent. Neq; præterea inedia urgentibus illis utiliter & ut decet repente succurrit, ut quæ non nisi tempore & dierum numero exinaniat. Adde quod

morbis

morbis præsentibus inedia uigilias generet, adfertq; inquietudinem, rosiones, nauseam & incendia: unde ad morbum plerumq; addit & uirium deiectionem. Itaq; ad unius phlebothomiæ facultatem confugiendum, quæ intrinsecam molestiam prompte celeriterq; uacuat, humorum acrimoniam reprimit & refrigerat, idq; uiribus aut nihil aut minimum offensis. Hippocrates morbos iam insilientes seu imminentes sanguinis mißione anteuertere docet. Non illorum incursum, appulsumq; expectare. Simili ratione Galenus ex Ephemera febre ab obstructione in synocho simplici, nullaq; putredine implicata, sanguinem copiosum trahit antequam materia putrefiat. Eadem aut fortasse maior purgandi ratio in morbis ex cacochymia natis, præsentibus quidem neceßitas, imminentibus utilitas ac securitas. Incidimus interdum uenam non morbi ratione sed causæ uel symptomatis magnitudine: ueluti si in tumorem siue aquam intercutem, seu alium quendam frigidum morbum aliquis ex hæmorrhoidum retentione aut menstruis suppreßis inciderit: eo quod in uenis copia sanguinis affectum fouet, & quibuscunq; potest modis exaggerat. Plerumq; igitur frigidus morbus ægrotum sollicitat, in quo solius causæ gratia, ut dictum est, uenam incidimus. Causæ etiam in exquisita tertiana depellenda rationem obseruamus. Hæc enim tametsi

Venam non morbi ratione sed causæ interdum incidunt.

febris

febris est, uenæ sectionem minimè recipit. Sanguinis enim penuria & inopia inest. bilis ubertas & copia, quæ tanquam causa purgationem, non uenæ sectionem, desiderat. dysentericum, nec non lientericum alui profluuium sæpè cohibuit secta uena interior dextri cubiti: atq; tum causa in iocinore residebat, ex qua calidiore bile effusa uentriculum aut concoquendo interpellabat aut præpropere deijciendo lacescebat. Interdum etiam tum morbo tum causis prætermißis, quando symptoma quoddam perurget uenam tundimus. sicuti cum sanguis è naribus uel utero immodice prorumpit ad reuulsionem. Adhæc in febribus ardentibus, cum uehemens æstus uel sitis uel uigiliæ, ægrotantem grauiter affligit, etiamsi nulla plenitudinis sed sanguinis pauci & impuri nota existat, magna ex parte uenam incidimus, ut inde compresso ardore symptomatum sæuitia immitescat. Acerbi dolores, spirandi difficultas, huiusq; generis multa symptomata plerumq; ad sanguinis detractionem compellunt, quamuis nec morbus nec causa expostulet, quo consilio in asthmate interim uena secatur, multoq; magis in pleuritide & angina, quam uel bilis, uel pituitæ uis & affluentia produxerit, Nec tamen ex quocunq; morbo uel causa si grauia symptomata adsint sanguis continuo mittendus. Absurdum enim esset in nephritico aut colico dolore, paralysi, cruditate uen=

Venam non morbi ratione, sed causæ interdum incidimus.

Sanguinis missio in quibus morbis nõ conueniat.

tate uentriculi, hydrope & eiusmodi sanguinem mittere: sed in his duntaxat affectibus qui uel ex plenitudine initium sumpserunt, uel ex cacochymia quæ nequeat medicamento purgante statim & conuenienter detrahi. Itaq; uasorum simplex cacochymia quæ purgationi cessura non est, urgente symptomate secta uena tolli potest. Hæc quidem tum temporis uiribus magis quam purgatio incommodat. uerumtamen ab impendenti periculo liberat. Duo autem obstant & impedimento sunt, quo minus facile cacochymia purgatione tollatur, unum quidem liquidum corpus & ad expellendum minime expeditum. Alterum cum noxius humor uias medicamenti diuertit, seu cum pars affecta longè à uijs purgationis seposita est. Porrò si frigidæ pituitæ destillatio ex cerebro per ceruicem in humerũ, latus & musculos fiat adeo ut pleuritidem excitet: similiter in fauces, pulmones, quæ aliquanto suffocationis periculum infert, quanquam humor frigidus sit, eiusdem tamen lateris secta uena interior nonnunquam subsidio est, & ex discrimine cripit. Est igitur in uenarum (quæ uariæ & multiplices existunt) præcisione delectus non mediocris adhibendus, qui omnes ex affectæ partis situ, affectus magnitudine, & ex eius præsenti constitutione ostenditur.

Affectus quidem duplex est, uel enim nunc irruit **Affectus duplex.**

& illabitur impetumq; facit, & tunc opposito loco uenam tundimus, ut fiat humoris reuulsio: uel impetus iam conquiescit, humorq; impactus iam parti inhæsit, & tunc propinquam uenam aperimus, ut fiat humoris illati deriuatio. Laudantur humorum cursus omnes, qui hoc modo per directum fiunt: aliter cum obliquè in transuersum feruntur tanquam naturæ uim & concitationem indicantes, improbantur. Pleuritidi dextræ nequaquam contrarium est latus sinistrum. sed inflammato cruri dextro contrarium est sinistrum. Hic enim communis & directa uenarum societas per quam sinistrum crus incisum euocat è dextro: At uerò è dextro latere nulla uena rectis fibris in sinistrum concedit. nam hic contraria prohibemus quæ in eiusdem recto processu quàm longissime sita sunt. Proinde unius lateris secta uena, alterius pleuritidem non adimit. Oportet igitur & naturæ ratione & Hippocratis consilio, uenam secare ab eo latere quod dolore sit affectum. Nec uero non solum in dextra pleuritide, uerum etiam in inflammatione iecoris (cui omnes uenæ sociatæ iunguntur) interiorem cubiti dextri uenam tundimus, qua non comparente, mediam: si nec ea se profert, ad humeralem confugere melius est quam ad dexteram aduersi brachij. Quum mox ab emisso sanguine inflammationis dolor placatur, si postea nullo ægroti uel aßidentium errore,

Sanguinis non satis extracti in inflãmatione signum.

errore, recrudeſcet, ſignū eſt non ſatis ſanguinis ſubductum eſſe. Quare quod deficiebat ſupplendum erit, eadem uena de integro cæſa: Sed tantiſper intermittendum eſt dum aliquid humorum corporis remigret in uenas, quod non ante quartam horam fieri proditum eſt. Adhæc ſi plenitudo humoris bilioſi labe contaminetur, interior cubiti dextri, uena tundenda: Sin Melancholici uitio perfunditur, ſiniſtri: ita quidem flagitante lienis ſitu. Quum uero ex crudorum humorum colluuie ſubortam plenitudinem cognouerimus, ex utrocunq; cubitu detractionem fieri nihil prohibet. Eadem prorſus lex & in febrium curatione obſeruanda, ſiue ex continuarū ſiue intermittentium ſint genere. Quapropter Synochus tum ſimplex tum putrida, & febris ardens & peſtilens, item tertiana & quotidiana tum aſſidua tum intermittens, ſimiliter & ſemitertiana, uenæ ſectionem ex interiore dextri cubiti poſtulant. Quartana uero quomodocunq; progrediatur interiorē etiam ſiniſtri brachij tundi efflagitat. Interim per febres putredo in has aut illas uenas ſeſe magis infert, idq; citra phlegmonem inſignemúe obſtructionem, quod inde intelligitur, dum per februm acceſſionem aut excandeſcentiam. Alijs capitis & temporum arteriæ pulſant, dolentq; uehementer, alijs pectus oppreſſum quaſi animam intercludit, alijs lumborum grauitas cruciatusq;

tusq; fatigat, alijs aliæ partes multo grauibus affli-ctantur pro ut putredo magis incumbit. Interea qui eo febrium genere torquentur, in ijs secandæ uenæ delectus est habendus, qua parte afflicta pars magis quam reliquum corpus leuetur. quocirca si per has febres caput male habet, tundenda est uena in cubito media, si pectus, respirandiq; partes, interior: si uero lumbi, uel interior cubiti uel inferior, in poplite aut malleolo. nam renum lumborumq; regio ambigit. Ex partibus quæ supra clauiculas sunt, perspicue reuellit & uacuat incisa uena humeraria, celerius ualidiusq; in cubito, tardius uerò & segnius in eo manus ramo qui inter pollicem & indicem decurrit. Ex his uero quæ inter clauiculas & renes posita sunt, reuellit secta interior celerius & cum maiori ui in cubito, tardius uero & segnius in manus ramo qui inter annularem & minimum digitum porrigitur. Ex utrisq; reuellit uena media, siquidem ex communibus illa humerariæ & interioris ramis coagmentata & conflata est. Subter renes in quacunq; parte sint affectus, secta in poplite uena maiore impetu & celeritate reuelluntur, lentius uero & infirmius, secta in malleolo. Phlegmone quæ rectos abdominis musculos uel supra umbilicum inuaserit, retrahetur aperta inferiore uena. Quæ uero colum intestinum apprehenderit (quamuis subter renes sit) reuelli tamen debet

secta in-

secta interiore cubiti: quod uenarum ex Anathomæ origines deriuationesq́; commonstrant.

Sed nunc singulas uniuscuiusq; partis affectiones persequamur. Capitis igitur ex plenitudine affectus, tum interiores tum exteriores, siue initiũ faciant siue magnitudinẽ summam impleuerint, reuellit secta in cubiti flexu humeraria uena, dextros quidem dextra, sinistros sinistra. Phrenitides & deliria, & apoplexiæ atq; uertigines, præcisis quæ pone aures sunt arterijs deriuantur. Qui priora capitis prehenderunt affectus, deriuantur aperta frontis uena: qui uero occiput & posteriora tenent, cucurbitulis ceruici humerisq́; adhibitis, aut incisa uena puppis. Oculorum inflammationes & acres lachrymæ, primum eiusdem lateris humeraria est tundenda, deinde humeri ceruiciq́; cucurbitulæ affixæ retrahunt inhibentq́;. Deriuantur autem incisa uena, quæ in maiorem fertur angulum. Auribus inflammatis & parotidibus post humerariam secanda est uena sub aure. Gingiuarum maxillarumq́; ac dentium calidiores affectus primum humerariæ uenæ: deinde earum quæ sub labijs extant sectionem poscunt. sicuti angina post humerariam earum, quæ sub lingua cernuntur. Pulmonum inflammationem reuellit pariterq́; deriuat interior cubiti sinistri potius quàm dextri. quandoquidem pulmonũ uenæ ex dextro cordis sinu prodeunt.

 Eadem

Eadem ratione ſanguinem tußiendo reijcientibus: item tabidis & palpitatione cordis laborantibus & id genus alijs effectionibus, ſuccurritur. Pleuritidi tum interiori tum externæ, ſimiliter pectoris & diaphragmatis inflammationibus & ulceribus ſanguinem ſputo fundentibus, interior eiusdem lateris ſecta uena reuellit ac deriuat. Tumores qui uel axillas uel humeros male habent, niſi ad brachij flexum pertingant, eandem curandi rationem ſubeunt. Iecore inflammato grauiterq́; oppreſſo, interior dextra ſcinditur. At uero male affecto lieni ſuccurrit interior ſiniſtra, in cubito quidem ualidius, in manu uero languidius tuſa. Deriuationem in ijs cum iam fluxio ſubſtiſtit, Galenus cucurbitularum ope complet, quæ dextro Hypochondrio imprimantur: ſi iecur, dextro: ſiniſtro uero, ſi lien laboret. Recens renum inflammatio quam copia ſanguinis comitatur, ex interiore uena cubiti reuellitur, dextra quidem ſi ren dexter: ſiniſtra ſi ſiniſter affligatur. Cum uero non immodica plenitudo premit, tutius ualidiusq́; ex inferioribus reuulſio adminiſtrabitur, quæ è directo ſunt, uel in poplite, uel in maleolis. Per uteri affectus ſi menſes præter modum effluant, uena cubiti interior impetum coërcebit, ſurſumq́; retrahet: quemadmodum & cucurbitulæ ſubter mammas infixæ. Suppreſſos autē menſes uena in poplite aut maleolo cæſa, mouet.

Proflu-

Profluentes affatim hemorrhoides, secta in cubito uena supprimit: suppressas diducit & euocat secta in maleolo. At si qua inflammatio uel podicem uel partes obscœnas uel uesicam, uel alterutrum inguem infestarit, modo non uenenatæ cuiusdam pernitiei particeps ea fuerit, ex superioribus cubiti uenis multitudo submouebitur inhibebiturq́; fluxio, secundum quam ex inferioribus (si magna premat necessitas) particularis reuulsio, deriuatioq́; fiet. Similis est omnium quæ crura inuadunt inflammationum ratio. quoties enim ingens adest plenitudo, effrenataq́; fluxionis uis & incursio, ex cubito sanguis primum: tum si non respondeat, neq; par sit, ex crure uel pede effundatur. Cæterum si ex longa consuetudine fluentes hemorrhoides cohibeantur, plenitudinem inuehunt. Galenus podagram arcet secta cubiti uena: Comitialem uero morbum, apoplexiam, & uertiginem, incisa uena poplitis uel malleoli.

Nunc de sanguinis mittendi quantitate agamus. Morbi igitur omnes supra enumerati uenæ sectionem desiderant, dum modo suo genere magni & uehementes extiterint, aut si causa quæ humoribus inest, multum accreuerit, uel dum symptomatis cuiusdam sæuitia premit. Expendendum semper uirium robur. siquidem omnium uacuationum uiribus maxime officit, quæ sanguinis fit detractione. itaq; ante-

In sanguinis emissione quæ consideranda.

quam sanguis effundatur, duo hæc adsint. morbi magnitudo & uirium robur. Morbus primum magnus ac uehemens intelligitur ex genere: nam cuiuscunq; partis sit phlegmone grauior deteriorq; censetur, quàm simplex illius intemperies. deinde ex partis usu atq; præstantia, si ex principum partium est ordine, ut cor, cerebrum, & iecur: aut si contra intra partes abiectas & ignobiles recensetur. Preterea ex istarum situ, quarum aliæ principibus affinitate iunguntur: ut pulmones, latera, uentriculus & lien. Aliæ uero longiori interuallo desumptæ sunt, ut intestina, renes, uesica, artus, aliæq; in extremis positæ. Ex ipso deniq; partis sensu, qui acutus est uel hebes. at causæ magnitudo ex humore qui in affecta sede est spectatur, nempe cum benignus aut uitiosus, uel putridus qualitateue contaminatus fuerit. Hic enim quicquid pernitiosum est & mali moris magnum etiam nuncupare consueuimus. Ex uasorum & uiscerum totiusq; corporis plenitudine, uel inanitione, antecedentis causæ magnitudo deprehenditur, idq; ex humorum inibi conceptorum puritate aut uitio. Symptomatis magnitudinem ex uehementia aut remißione eorum quæ incidunt dimetimur, nempe doloris, sitis, deiectæ appetentiæ, uigiliarum, & cæterorum quæ uires communiunt. Porrò ualentes aut imbecilles uires ex operibus primum cognoscuntur, quod 1. lib.

de morbis

de morbis curandis abundè ostendimus. Vrinæ & alui excrementa cruda, tenuia, & aquosa aut naturæ carnis similia, naturalis facultatis imbecillitatem commonstrant, quemadmodum uel retentio, uel alia quæuis oblæsa functio. Vitalis facultas expulsu paruo, obscuro, ac debili: item ex respiratione parua, difficili, crebra, ex uoce etiam exili & languida, quæ neq; pulmonum neq; pectoris uitio aborta sit debilis animaduertitur. Horum uerò contrariæ facultatis robur & firmitatem ostendunt. Animalem uim imbecillam coarguunt motus sensuumq; læsio, uigiliæ, deliria, aliæq; perturbatæ principes actiones: quemadmodum contrariæ illius constantiam firmitatemq; monstrant. Præterea si quis uehementi aut diuturno morbo, ut lyenteria, atrophia, marasmoue extabuit, huic sanguis mittendus non est, etiamsi pulsus plenus existat & ualidus. Est quoq; considerandum ut euacuationis quantitas, sicuti aliorum medicaminum, certis legibus circumscribatur, ut uiribus quam minimum fieri potest, oblæsis morbi essentia dematur. Hæc morbi uiriumq; inter se collatio commonstrat. Si enim ualidæ fuerint uires, quantum morbus desiderat, erit euacuandum: sin minus ualidæ, moderatius: si uero deiectæ nihil prorsus. Porrò in inflammationibus & ardentißimis febribus, atq; uehementißimis doloribus, usq; ad animi uiriumq; defectum (Græci λειποθυμίαν

Sanguis quando ad animi deliquium usq; detrahendus.

θομίαν καὶ λιποσαρκίαν nominant) ſanguinis detractionem Hippocrates, & Galenus maximum eſſe præſiduum literis tradiderunt: modo ægri uires id ferre queant. Sed timendum fortaßis ne hac ſpe ægri in Syncopen, id eſt, uirium omnium præcipitem lapſum illabantur. Quare potius iteratione quam Græci ἐπίκρασιν uocant ſupplebimus, ne forte cum morbo æger de medio tollatur. Qui calidi & humidi ſunt natura, copioſam uacuationem non ferunt: ſicuti qui plurimum ab his dißident, ut ſunt frigidi & ſicci. At multo humore in uenis recondito, qui abundant, ij facilime euacuationem poſſunt tolerate. Corporis habitus ex tenuatus, mollis & rarus, tum imbecillus tum multæ diſſolutioni obnoxius eſt: contra uero carnoſus, firmus atq; denſus, pauca ſinit è corpore dißipari. Qui autem præpinguis & obæſus eſt, difficile uenæ ſectionem admittit, quod exilibus conſtitutus ſit uenis, quibus ex inanitis pinguedo facile ſtringit deprimitq;: ut inde metus ſit ne natiuum calorem extinguat. In corporis habitu æſtimanda etiam uenarum capacitas. nam quibus amplæ, & turgidæ ſpectantur, tolerabilior eſt euacuatio, quam quibus anguſtæ. Inter ætates quæ decrepita nuncupatur, quia uiribus eſt imbecillis, nullam uenæ ſectionem tolerat. Quæ inter pueritiam & ſenectutem media interuenit, dum firmæ ſunt uires & corpus bene conſtitutum

In quibus ſit uenæ ſectio tollerabilior.

ſtitutum

ſtitutum nulla uacuandi præſidia metuit. Inferior pue rorum ætas uiribus quidem abundat, ſed quia corpus calidum & humidum, molle, tenerum, ac patens ſanguinis emißionem non fert. Verum quidem ætates, in ſanguinis eductione nullis annorum finibus Hippocrates (ut alibi etiam diximus) circumſcripſit. At Galenus neq; ante annum 14. neq; poſt ſeptuageſimum uenam tundendam conſuluit. Nonnulli etiam noſtro tempore in Medica facultate doctißimi, ſexto aut ſeptimo anno, tres quatuorúe ſanguinis uncias in pleuritide & interioribus inflammationibus nonnunquam detrahendas cenſebant. Sponte ſiquidẽ tum pueris, tum infantibus lactantibus ſanguis interdum abundè prodit è naribus, nulla corporis aut uirium iactura. Eſt haud dubiè conſentaneum, ut qui graues morbos experiuntur, ijdem poßint illorum quædam remedia ſuſtinere, leuiora tamen in pueris ob uirium imbecillitatem, & aßiduum ſubſtantiæ fluorem, unde noxius humor ſponte uel naribus, raro corpore dißipatur. Aetas inſuper quæcunq; firma ſit poteſt euacuationis modum aliquem tolerare. Eſt quoq; ambientis nos aëris tenenda conſtitutio. Regio ſiquidem feruens & arida, multum innati calidi uiriumq; multum etiam peccantis humoris è corpore haurit. Hinc uires comminuuntur, paucior q; ſanguis manet in uenis: inde nos contractiores par-

cioresq; in sanguine mittendo esse conuenit. Regio frigidior ac humidior, calidum natiuum humoresq; intus cohercet, eosq; minimũ dissoluit. quocirca sanguis abundantius effunditur. At in extremè frigida (quæ plurimum in Boream deuergit) sanguis ueluti conglaciatus uacuationi uix cedit. Inter has media largißimè sanguinis profusionẽ tolerat. In anni temporibus uer sanguinem largius fundi permittit. quo tempore uenæ sectio præcauendis morbis idonea est. post uer autumnus, deinde hyems, omnium uerò minimum æstas. Cœli status quicunq; calidior obtigerit, ut in subsolana uel austrina tempestate, parcius: qui frigidior, ut ualido Aquilone aut Fauonio, & ijs quoq; parce. In regione summè frigida & hyeme dum Boreas præmit, prorsus à uenæ sectione abstinendum, solusq; Auster placidior illam admittit. In regione autem feruida & æstate, cum perflat Auster, uenam tundere periculosum: Sed cum Boreas æstum temperat, tutißimum. In uehementi pleuritide si fortè totius corporis sudor erumpat, aut uomitio seu alui profluuium adsit, sanguis mitti non debet. Quibus tandem sedatis & paululum recreatis uiribus uena interdum tundi potest, Similiter ubi abundantius sua sponte dimanat, abstinendum è à phlebotomia: si parcius & languidius fluat morbusq; interim urgeat, quod deficit uenæ sectione supplendum. Consuetudo etiam

Quando in pleuritide, sanguis non mittendus.

etiam nobis in uictus ratione, uitæ genere, & in euacuationibus obseruanda. nam qui liberalius pleniusq; uiuunt, copiosius euacuandi quàm qui frugaliter. Sic qui uenæ sectionem iam sunt experti, non læsis tamen ob euacuationem uiribus, crebram facilius eductionem perferunt. Siquidem consueta etsi deteriora, minus offendunt. Adhæc non solũ uires præsentes emetiri, uerum etiam futuras prospicere acuti sapientisq; fuerit iudicij. Eodem modo in cœli constitutione si calida & sicca posthac euaserit spectetur q;, restrictius sanguis emittetur, quàm si frigidã fore conijcimus. Item in prostrata appetentia, uel cum morbus deuorare non sinit, ut in angina fauces præcludente, parcius euacuare monemur. Quibus etiam symptomata inopinata contingunt, ut sunt uehemens dolor, uigiliæ, & in primis syncope (hæc enim uel natura imbecilioribus, uel timore magno perculsis, uel quibus os uentriculi amara bile perfunditur. Quum aliquid eiusmodi futurum suspicamur, etiamsi uires non constent, sanguinem tamen uel nullo modo, uel perparce mittemus: nisi forte huic periculo ante sit occursum. Porrò si corpus pingue adfuerit, album, laxum & molle, tenuisq; succi plenum, adsitq; æstas, regio æstuosa, cœliq; status calidus & siccus, omnino huic sanguinem non mittemus, satis enim ex se ipso euacuatur. Parum etiam detrahemus in eo ipso ha-

bitu si hyems adsit & frigida regio, cœliq; status Aquilonius. Vterum gerentes & cacochymia tentatæ mensibus tertio & octauo interpositis, purgationes ferunt, & multo magis uenæ sectionem, ut quæ minus exagitet, minusq; fœtui officiat. Atq; id media gestatione longe tutius, quod sanguis magis redundet & fœtus minori egeat alimento, Sæpe etiam grauida, supra mensem octauum nullo fœtus malo sanguinis moderatam eductionem perfert. Fieri etiam potest ut sanguinis copia in abortus discrimen adducat: itaq; si grauida mulier morbo conflictetur grauiore, sitq; ualentibus uiribus, & forti animo nec metu perturbatur & uasa plena sint, & non inedijs exinanita, huic tuto aliqua ex superioribus uena incidetur, ex qua sanguis sensim defluat. Inferiores prægnantium uenas resignare minime tutum: periculum siquidem est ne menses una cum fœtu euocentur. Esti præterea uteri gestatio quemadmodum & ætas inter quantitatis obseruationes habenda. Multis argumentis iam demonstratum est uenæ sectionem hisce duntaxat opitulari, quorum causa aut in uasis concluditur, aut è uasis in partem aliquam incubuit. Estq; in primis animaduertendum ut interior illa morbi causa tollatur. Idcirco cum uel plenitudo, uel aliqua eiusmodi causa subest, debet ea uenæ sectione submoueri, idq; mox & ineunte morbo. Sic febres ardentes antequam

Vterum gerentes quando purgandæ,

tequam

tequam ſanguinis moles feruoris intendio torreatur, aut uehementior putredo inualeſcat, acceleratũ hoc remedium extinguit. Nec aliter interiores inflammationes hoc auxilij genere initio radicitus eruuntur, uirium, ut ſæpe dictum eſt, robore ſemper habito. Qui in plenitudine aut fluxione alia remedia uelit producere, euerſo medendi ordine affectum conduplicabit, uiribusq; negociũ faceſſet. itaq; uenæ ſectio morbis quibus conuenit incipientibus ſi decernatur, ſublata multitudine, quod reliquum fuerit, facilius natura concoquet & euincet. Cum enim morbi inchoant, inquit Hippocrates, ſi quid uidetur mouendum, moue: Cum uero conſiſtunt melius eſt conquieſcere. Et cõcoctus iam humor medicamento deriuandus detrahendusq; eſt. Nam ſi quis hoc tempore uenam inciderit, humores quoq; utiles eliciet, & quod grauius eſt, eos pure ſanguini exagitatione permiſcebit, inquinabit, ac confundet, & naturæ officium præpediet interpellabitq;. Quibus porrò in morbis ſigna concoctionis manifeſta apparebunt, non amplius uenæ ſectione, ſed uel purgatione uel alijs deriuantibus præſidijs reliqua curatio tranſigenda: niſi cruditatis ſigna (ut interdum fit) denuo ſe prodant, quæ prius eſſent ipſa purgatione concoquenda. In febribus uacuata multitudine, ubi quæ putruerant concocta apparent, per aluum, urinas & ſudores, ea uacuare tentandum.

Aph. xxiiii. lib. ij.

tandum. In pleuritide & peripneumonia, quæ putruerunt & in pus conuersa sunt, per sputa: In iecoris inflammatione: caua quidem per aluum (ut etiam in nostris comment. super Aphoris. Hippocratis diximus) Gibba uero per urinas: quemadmodum & renes: singula deniq; per loca proxima, & conuenientiora. Si metu, ignauia, alijsq; occasionibus uenæ sectio primis morbi diebus administrata non est, quocunq; die etiam uigesima, modo uires ferant, neq; sint morbi diuturnitate collapsæ, illam incidimus. Concocta etenim morbi materia & ubi uires dissolutæ non sunt, non dierum numerus neq; à purgatione, neq; à phlebotomia dehortatur. Vt autem uniuersalium temporum, ita particularium & dierum, quibus morbi recurrunt delectus habendus, in his potißimum morbis, quorum certa est uel intermißio uel remißio. Vacuatio non excandescenti sed mitescenti morbo offerenda. Natura tamen plerumq; febrium maxime intermittentium inuasionibus, uomitiones & declinationibus sudores commode ciet. Nobis quidem tametsi naturam imitamur ducem, in acceßionibus minimè solemus mouere, præsertim medicamentis, quæ multũ uentrem deturbent seu uenæ sectione. Maxima igitur morbi tranquillitate tum purgatio tum uenæ sectio est administranda. Si spacia inter acceßiones porriguntur, facile erit medium ipsum pro

Aph. xxiiij. lib. ij.

rerum

rerum commoditate designare: sin angustum, difficilem: quod interdum uix occasio sese offerat, ut uel ante uel post uenæ sectionem oportune ægrum nutriamus. In quibus morbis uel præcautionis uel curationis gratia potestas datur, sanguini mittendo hora conuenientior erit matutina quàm pomeridiana. nam à solis exortu sanguis suscitatur uiget atq; dominatur fluxuiq; fit aptior. A sanguinis mißione æger sopore non torpeat, sed experrectus insomnem horam saltem unam maneat: Nec mittendus sanguis antequam cibum integre ille concoxerit, sitq; alui & uesicæ munia exequutus: eò magis si uena quæpiam magnarum uenarum fuerit incidenda. Astrologiæ etiam obseruationes quantum ars Medica postulat non sunt negligendæ. Cæterum in uehementi & suffocante pleuritide uel sanguinis immoderato fluore, extrema uasorum plenitudine & alijs deniq; morbis qui nimium præcipites sunt, nihil istiusmodi delectus habendus, sed quacunq; hora uehementer ij premuntur, hac ipsa uenam præcidere fas est. Quinetiam in febribus alijsúe morbis, qui per circuitus affligunt, quietis aut remißionis animaduersio multo præstantior quàm matutini temporis eius diei quo quis affligitur, & ut ad uenæ sectionẽ oportuna temporis occasio, ita corporis idonea præparatio adhibenda: qua neglecta ægroto plurimum offensionis impendet. Si igitur

Sanguini mittendo quæ hora conuenientior.

igitur aluus aſtricta fuerit, balano uel clyſtere priuſquam uena ſcindatur, eſt ſubducenda: uel ſi per aſſumpta malit, blando quodam medicamento, ne corporis uniuerſa moles exagitetur, utendum: cuiuſmodi eſt hierapicra, ſi febris non reclamet, uel Rhebarbarum, uel ſenna, uel Agaricus, uel aliud quiddam pro humoris ſpecie. Porrò in hydrope cacheſia, iecoris uel lienis ſcyrrho, uel exigente alterius morbi importunitate, minime ſanguinem educimus. Ante uenæ ſectionē ſi uentriculi uitia adſint, ut ſenſus eximius, ſiue nauſea, uomitus, faſtidium, aliaúe grauitas & dolor, ſiue præcordiorum tumoratq; diſtentio, & alia id genus prius corrigenda, præparandaúe illa erunt, poſtea idoneo medicamine purganda. Cum uena incidetur confricetur artus donec in caleſcat, atq; pars ex qua educendus ſanguis prona ſtatuatur, Poſtea ſuper eum locum in quem ſcalpellus adigetur arctius uinciatur, ut magis uena in conſpectum ſe offerat: infra etiam illigari mos eſt cum tremula inconſtansq; uena ad ſcalpelli quemuis impulſum ſubter fugit, aut è ſua ſede diſsilit. Conſtat autem quibus denſa ſqualidaq; cutis eſt, & quibus anguſtæ uenæ, aut in altum demerſæ, multa carne uel adipe obductæ, ijs multo arctius uinculum inijci debere quam quibus diuerſa eſt conſtitutio. Minores pedum manuumq; uenas in calentem aquam demittimus, quæ & profluenti ſanguini

guini impetum facit: si nec sic quidem, uena in apertum promatur, eam quo loco inesse solet, digitorum contactu perquiratur, dum sanguinis fluxu, & illius incursione sit explorata sedes. hancq; signatam scalpello industrius artifex percutiat. Interdum iniecto uinculo arctiore, aliquid uenæ simile intumescit, quare uidendum ne pro uena, tendo uel arteria percutiatur. Vena quæ in articulis brachij flexu & poplite exstant, in rectum scisæ, tardius coalescunt: quod articuli motu uulneris labra dehiscant. neq; huiusmodi incisio tentanda, nisi cum iteratione est opus. Extra articulos, ut in capite, manibus uel pedibus, quæcunq; uenæ emergunt diuersa sunt ratione. nam in rectum apertæ, cicatrice celerius obducuntur, quod labra semper inter se coëant. Sub uena quæ basilica dicitur, fere comes arteria delitescit, & sub media neruus: utrisq; musculorum tendones plerumq; substernuntur. Cæphalica licet difficilis, omnium tamen solet esse, ut antea dixi, tutißima. Si autem suspitio nerui aut tendonis compuncti fuerit (quod ingens dolor, stupor, resolutio, & brachij conuulsio cum tumore indicant) nec uulnus poßit coalescere donec ab impendente phlegmone induratum sit, & dies duo, tresue dolor adsit, inhibebitur fotu tepentis olei: lapso autem triduo si dolor conquiescat nec noui quidquam obrepat sinatur coalescere: sin minus adhi-

Obseruatio in tundendis uenis brachiorũ.

nus adhibeantur aperientia, attrahentia, & qualia nervis compunctis conueniant, ut therebinthina adiecto interdum euphorbij momento. Aperta arteria sanguis emanat tenuis, rubicundus, igneus, & pulsu quodam exiliens. subsidio tum est emplastrũ ex aloë, mirrha, thure, & bolo armeno, quæ oui candido & pilis leporinis sint excepta, ijsdem lintea ex liquore rosaceo imbuta insternetur. Emplastrum fascijs obuoluetur firmè ac tuto, ne triduo excidat, & hoc blande submoto simile imponendum denuo. Si ne ijs quidem arteria coalescat tota transuersim discindatur, ut extrema utrinq; reuulsa molli carne obducatur. Si crassius porrò uel uiscosius sanguis, qualis melancholicus inesse putabitur, aut cœli constitutio frigida sit, amplior fiat incisio: sin tenuis & aquosius, aut ipsa cœli constitutio calida, angustior ea fiet. Vena ut decet aperta uinculum à superiori parte laxabitur, quo inde sanguis uberius fluat: si sanguis rursus sit idoneus, sinatur: sin minus abunde & segnius fluat, idq; sectionis errore, ea emendetur. Quod si sanguis craßitie aliaue ex causa id contingat, laborans pugnum arctè uehementerq; obducat, neruos, musculos, latera, tußi ac uoce ualida cõtendat, uulnus aquæ calidæ fomento proritetur. Qui uero cura, metuq; intercipientur & parcius sanguis emanet, ijs intermißio fiat, donec uires recreentur. Emanantis sanguinis

Venæ sectio quando lata & quando angusta fieri debeat.

guinis quantitas æstimanda est ex morbi, uirium & plenitudinis necesſitate: quod etiam tum color tum ſubſtantia indicabunt. Si fortè laborans labaſcit metu, terrore, uel ſtomachi demorſu, tunc recreandus eſt aquæ frigidæ conſperſione in faciem: item ex aceto, uino, moſcho, & alijs aromaticis naribus admotis. Si ne, ſic quidem releuetur æger, uomitus excitetur, aut faucium titilatu, aut iniecto oleo, quandoquidem ijs impetus ſtomachi, cordiſq; tædia robur expellet. mox uires inſtaurentur uino, ſucco mali punici, iure carnium, medicamento diamoſcho alijsúe cardiacis. Deterſum uulnus lynteo obſignetur uel roſaceo, uel dulci aqua imbuto: aut etiam oleo ſi ſanguinẽ iterum fundere conſilium eſt. Faſciæ ex linteo nec arctiores ſint, nec cutem uulnerisúe labra diſtorqueant. Si icto tendone aut neruo fluxionis aut phlegmonis metus ſit, emplaſtrum è ceruſa imponendum eſt: in ambitu uero cataplaſma ex ſemper uiuo, ſolano, arnogloſſo alijſq; frigidis. Sectus æger ſupinus recumbat, ut omnibus partibus in ſpinam dorſi ſumma ſit quies, tanquam in corporis baſim reclinantibus: & in quiete partes exhauſtæ repleantur. Neq; ad conſueta munia properet, neq; ullo exercitationis genere ſe fatiget, neq; uenere utatur aut in balneum deſcendat, ne ſanguis & ſpiritus uehementius incitati diſsipentur aut incaleſcant, qui ſedandi comprimendiq; ſunt. A

uenæ ſectione non continuò indormiendum eſt, ne aut languidior calor extinguatur, aut obruantur imminuti ſpiritus. itaq; uigilans conquieſcat, abſitq; tum animi tum corporis contentio. Hora una aut altera à ſanguine miſſo alimentum, exiguum quidem, ſed boni ſucci licebit offerre, quod promptè alat & quod ſit profligando morbo accommodatum. Duabus ab hinc horis aut etiam citius, nihil uetat obdormiſcere, modo aßidentes proſpiciant, ne uel laborans in brachium cæſum ſe deuoluat, uel uinculum diſſoluat quo ſanguis dimanet, uel aliud incommodum ſibi ferat. Reliquus deinceps cibus non cum auiditate, ſed ſenſim ſumatur, ut quem natiuus calor imminutus poßit euincere. Porrò ſi per uirium imbecillitatē non poſſit uniuerſa uacuatio compleri, quum præſtantior uirium quàm morbi ſit obſeruatio, partiri eam uacuationem cogimur, idq; ſummo iudicio, ſummaq; prouidentia. Partitio illa ſit ex modicis interuallis, atq; uel diſſoluto uinculo, uel digito uulneri indito intermittatur tantiſper dum uires reſtitutæ ſint, atq; hora una interdum, nonnunquam duabus pluribusúe ad uirium inſtaurationem eſt opus. Galenus optimum ducit non ultra diem prorogare, ſed eodem die (ſi uires ſinunt) rurſus ſanguinem mittere, idq; in morbis uniuerſalibus quibus id conceditur. Cæterum in affectibus partium omnibus, præſertim in phlegmone, tametſi

Poſt ſanguinem miſſum quænam alimenta conueniant.

tametsi uires persistant uacuationem partiri nonnullis placet, semperq; post modicā sanguinis effluxionem, iterum mittere, maximè cum postremus sanguis corruptus apparebit. Primum quidem parcius, deinde liberalius: interdum & tertio mittendus. In pleuritide, phlegmone, alijsúe affectibus quorum materia è uasis in partium molem confluxit, cum aut reuulsionis aut deriuationis gratia uena secatur, utilis est repetita sectio in posterum diem, quandoq; & in perendinum differre. Venènatam malignamq; inflammationem, ut pestilentē bubonem, aut carbunculum, non in posterum diem producemus, sed necesse est ipso die festinanter uacuationem iterare, ne pestilens contagio diutius hæreat in uenis. Caueat interim Medicus ne crebro audacterq; uenam aperiat, cum Galenus uix nisi ex necesitate pluries in anno id fieri permittat. Sanguinis essentiam & colorem postq; peluiculis mundis, terrenis, uitreis, stanneis, aut argenteis, non tamen æneis exceptus fuerit, inspicere oportet. Multæ igitur peluiculæ seponantur in loco mundo ubi nec puluis nec fumus, nec uentus nec deniq; radij solares pertingant. Crassus enim & densus sanguis obstructionem significat: tenuis & qui iam refrigerescens minime durescit: is aquosus est & putridus: spumosus incendium innuit. Serum multum tanquam aqua citrina concretum sanguini innatans

Sanguinis essentia & color.

uel potum liberaliorem uel iecur infirmum (quale hydropicis) uel imbecillos renes uel eosdem obſtructos oſtendit. Color citrinus bilem, albus pituitam uiridis bilem retorridam, liuidus aut plumbeus atram bilem cum pernitie commonſtrat: ſicuti uarius uarios affectus: & dum grana quædam permixta apparent, elephantiaſim oſtendunt.

DE ANIMI AFFECTIBVS ſeu perturbationibus.

CAP. XVI.

ANIMI pathemata ſeu affectus, inter res non naturales ultimo loco ponuntur. Huiuſmodi fere ſunt, timor, gaudium, triſtitia, uerecundia, & id genus. quorum motu & concitatione noſtra corpora ſæpe afficiuntur. Porrò perturbationes quæ ex lætitia & iracundia ſuſcitantur, potenter ac ſubito mouent: reliquæ uero nec ualidæ nec potenter. quarum aliæ ſi perſiſtant corpus offendunt, ut mœror & inuidia: quædam nihil aut parum incommodant, ut uerecundia. In timoris emotione ſanguis & ſpiritus intro ad ſuam ſcaturiginẽ feruntur contrahunturq́;, quo fit ut algeant partes in ſuperficie poſitæ, unde pallor & tremor ſequitur. Etenim metus cum è re formidabili naſcatur, præceps ſubitusq; motus iudicium obiecti ſurripit, ijs præſertim qui-

tim quibus imbecilla mens est hinc pulsus celer, turbulentus, inordinatus, atq; inæqualis quando scilicet metus recens, ac uehemens fuerit, nam si inueteratus sit pulsus à mœstitia erit similis. In lætitia fit motus non ualidus, nec feruidus: resoluitur tamen spiritus & animalis facultatis robur dißipatur. hinc pulsus magnus ac rarus, non tamen uehementia diuersus. Præ gaudio nonnulli pusillanimes ueluti quidam timore suffusi, perierunt. In mœrore sensim fit motus ad interiora, unde spiritus ad suam originem reuocati coarctantur, nec rursus (ut in iracundia) foras sparguntur, sed sese accendunt ac consumunt, unde temporis progressu potius quam uehementia humiditas absumitur & uirtus consopitur, fitq; deses. Præterea mœror haud leuiora quàm maximus timor adfert symptomata: quippe laborantes decolores apparent, refrigerantur, rigore concutiuntur: pulsus fiunt parui, tardi, languidi ac rari: quia ualida facultas non est, inde aliqui tanquam syderati & attoniti moriuntur. Iracundia feruidus quidam, irascibilis facultatis in corde sedem habens, motus est: in quo primum intus accenduntur sanguis & spiritus, deinde foras effunduntur, ac corpus totum inflammant, ita ut febrem sæpe generent. At excandescentia & furor qui ex uehementi ira excitantur, spiritus celeriter intro reuocatos accendunt. Ab ira fit pulsus altus, magnus, uehemens, Iracundia.

celer & frequens. Hæ præterea emotiones quibusdam, cum in omni corpore, tum maximè in uultu quodammodo dignoscuntur: Læti siquidem frontem, oculos, totamq; faciem exporrigunt. Effunditur enim in has partes spiritus, qui cutem extendunt: mœsti uerò easdem partes in rugas contrahunt demittuntq;, quasi intro recurrentes spiritus sequantur. Excandescentibus tota facies calet & rubet, oculiq; prominent ac scintillant. Spiritus enim & sanguinis feruor in corde calidos uapores suscitant: qui in corpus uniuersum maximè tamen in oculos feruntur. Itaq; frons rugosa tristitiæ ac feritatis est signum: contra uerò hilaritas mansuetudinis & clementiæ. Iracundiam porrò oculorum igneus calor ac scintillans splendor testatur. Harum quoq; affectionum notæ, natiuas temperaturas sequuntur, ut si oculi tactu calidi censeantur, minimeq; excrementosi perspicuè cernant, latas uenas easdemq; rubras habeant, temperamēta calida siccaq; esse testantur: quæ quidem dociles & ardua appetentes, audaces, animosi, iracundi, furibundi, implacabiles ac præcipites habentur. Cæterum si animi motus sint compositi, alijs signis erunt dignoscendi, quando quidem neq; pulsus, neq; causæ quæ pulsus uariant, illos prodere possunt. In summa tanta est harum affectionum uiolentia, ut interdum in grauißimos morbos & ad necem usq; (ut Historiographi etiam testantur) delapsi quidam sint.

Temperatura calida & sicca quos officiat.

DE

DE REB. PRAETER NATVram. CAP. XVII.

IAM, rerum naturalium & non naturalium habita consideratione, superest ut affectus qui corporibus præter naturam accidunt (græcis αἰτιολογικὴ καὶ παθολογικὴ dicuntur) persequamur. Res præter naturam. Hi enim sunt causa, morbus & symptoma, Causa morbum præcedit & excitat, Morbus actionem ex Galeni sententia, primario lædit, symptoma morbum sequitur. Hi itaq; affectus res præter naturam dicuntur, eò quod à naturali constitutione recedant. Causa igitur quæ morbi efficiendi operam suggerit, uel est externa, Græci προκαταρκτικὴν, id est, euidentem uocant, quæ extrinsecus adueniens, uehementer alterat immutatq; corpora, ut frigus, calor, morsus uel punctura & alia quæuis extranea læsio. quemadmodum in nostra de morbis curandis methodo dictum fuit. Interna uerò causa seu antecedens, quam Græci προηγουμένην dixerunt, in animato corpore consistit, ut sunt humores præter naturam affecti, & immoderati, atq; incompositi animalis motus. Causa duplex. Porrò causa tam externa quàm interna simplex est aut composita. Causa simplex dicitur unius quatuor primarum qualitatum intemperies, quæ si primo actionem lædat, quantumuis corporis robur mediet, non

causa sed morbus dicetur. Itaq; ex calidis, frigidis, humidis, siccisue causis: morbi ipsis qualitatibus similes gignuntur. Similiter ex motu multo & uehementi uel uiciniæ & contactu rei calidioris ueluti ignis, aeris calidi, solis actiui, balnei aquæ calidæ, & aliarum huiuscemodi rerum, morbi calidi oriuntur: qui quidem interdum uniuersi corporis habitum, sicuti febris non putrida, interdum partem aliquam, ut phlegmon Erysipelas, & reliqui morbi calidi, offendunt. Causæ uerò tam internæ quàm externæ quibus partes organicæ seu instrumentales officiuntur, sunt ueluti in utero, quando fœtus in eo male conformatus est, impedito naturali spermatus motu, uel ob materiæ multitudinem uel quantitatem non idoneam. Altera causa si uel inter pariendum, uel dum fascijs infans inuoluitur, committatur error. Facile enim puellorum corpora quæ mollia sunt, contorquentur: aut dum nascuntur, si obstetrices eos non recte suscipiant, aut postquam sunt editi, inepte inuoluant, aut ubi nutrices tenent uel erigunt, uel reponunt, uel lac exhibent, uel lauant. In his omnibus (nisi ut decet prospiciatur) singulorum membrorum naturalis figura & inuertitur & deprauatur. Præterea si per reliquam educationem peccetur, uel ob immodicam plenitudinem uel motum incompositum: qui si uehemens fuerit, membrorum figura distorqueri potest. Huc pertinent

Causæ organicæ partes afficientes.

uarij

uarij affectus qui ob nutricum errorem ac imperitiam (ut quæ nonnunq̃ ignorent quo pacto uincire oporteat) puerorum membra quædam aut supra modum prominent, aut contracta sunt. Aliquando etiam eorum qui confracti membri figuram inuertunt culpa, Hæc adducere uolui, ut tenellæ ætati accurata diligentia prospiciatur, sicuti prospectum nostræ incolumitati esse uolumus. Alter affectus præter naturam dicitur, qui actionis uel constitutionis uitium est, Sunt præterea morbi primi et simplices quatuor, qui reliquorum ueluti sunt elementa. Vnus quidem calor à naturali symmetria deflectens: alter frigiditas: tertius humiditas: quartus siccitas. qui quidem pro excessus uel decessus ametria, corpus affligunt. Interea considerandum in partibus affectis, simplex ne sit particula, quatenus sensus indicat, an composita: nam simplici accidere solent morbi, quos ex primorum elementorum differentia primos & simplices esse dicimus. Parti uerò compositæ reliqui morbi communes sunt. Cæterum præter naturam affectiones quæ in sola qualitatum intemperie existunt, nõ ita facilè cognoscuntur, nisi pars ipsa à naturali habitu deflexerit. Si igitur morbus partis similaris seu simplicis, simplex fuerit, ab una quatuor qualitatum intemperie fieri est necessum: ut ambustio ab igni uel sole, uel alia re calefaciente. Ab intemperie quoq; frigida fit

Morbi primi.

Morbi ab intẽperie frigida.

morbus ut est congelatio totius uel partis, tanta sæpe: ut pars demortua cadat, uel si totum corpus obsederit: morte absumatur. Solet huiusmodi affectus apoplecticis, epilepticis, trementibus & conuulsis accidere. Ab humida qualitate ut flaxitudo & mollities, nulla foris affluente substantia: uel sicca, perinde ac si pars salsa esset, ut mætasmus totius corporis uel partis, & huiusmodi. Si uerò is morbus non simplex, sed ex qualitatibus primis, sine affluxu mixtus fuerit, certum est eum pro qualitatum dyscrasia à medio recessu mitem aut seuerum esse, nam exiguæ ab exacta utrinq; symmetria declinationes, haudquaq̃ morbi erunt, donec functioni noxam quæ sensu percipiatur inferant, sicuti Galenus lib. de morb. diff. ostendit. Quæ uerò corpora medium inter utrunq; excessum habent, optima ualetudine fruuntur. Sed morbi ex nudis qualitatibus & sine materiæ affluxu, haud facile (nisi magni fuerint) deprehenduntur, quod si morbus ex intemperie cum affluxu materiæ accesserit, facillimè cognoscetur: siquidem morborum compositorum causæ difficiles esse non possunt, ut quæ ex simplicibus qualitatibus constent, ueluti ex intemperie calida & humida, quæ sanguinea est phlegmone: Est enim hæc affectio calidæ copiosæq; fluxionis soboles, quemadmodum Galenus lib. 1. simpl. indicauit. Ex calido & sicco humore ut est bilis, fit Erysipelas: Ex frigida & humi-

Morbi calidi & sicci.

humi-

humida, qualis pituita, fit œdema: ſicuti ex frigida & ſicca, cuiuſmodi Melancholia, ſcyrrhus & quoniam hi humores perſæpè inæqualiter miſcentur, ab eo quod in mixtura exuperat, denominationem fieri etiam alibi diximus. ſicuti in commixtione ſanguinis & choleræ, ſi ſanguis ipſe præcellat, tunc affectio Phlegmone eryſipelatoſa dicitur: ubi uerò flaua bilis præpollet, eryſipelas phlegmonoſum appellabitur. at ubi neuter uincit, ſed æqualiter apparent accidentia, tunc uitium id alterutrius quomodo lubet appellatio nem retinebit. Eadem & aliarũ mixtionum erit ratio, ueluti ſi multa bilis pauco humori pituitoſo aut atrabilario miſceatur: illud quidem Eryſepelas œdematoſum, hoc uero ſcirrhoſum dicetur. Cum igitur morbus ex intemperie cum materiæ affluxu aderit, cauſam ab humorum qualitate, unde morbi fit generatio, habuiſſe neceſſum eſt: idq; ex ſanguinis pituitæ & utriuſq; bilis natura. Rurſus frigidorum morborum cauſæ etiam uariæ ſunt, ut eſt uicinia & contactus rei frigidæ, qualis niuis & glaciei, ſeu aquæ infrigidantis, aëris frigidi, balnei aquæ dulcis intempeſtiui immodicíue uſus: item immoderata exercitatio, quæ aliter calorem excitaret augeretq;. Similiter res qualitate aut quantitate frigidæ, ſiue alimenti, ſiue medicamenti facultatem obtineant, atq; immoderata cibi & potus copia uel inopia, ſicuti & immoderata Venere. Morborum frigidorum cauſæ

Horum

Horum quodlibet poteſt frigidum affectum inducere. Ex medicamentis etiam ueluti eſt papauer, Mandragora, hyoſcyamus, cituta: quæ interdum præ nimio frigore mortem inducunt. Præterea ut conſtipatio refrigerationis ſubinde cauſa eſt, ita raritas, diſcutiendo natiuum calorem, corpus frigidum reddit. Sunt & aliæ cauſæ ex quibus humidi morbi generantur: ut temporum conſtitutio humida, uel regione, uel cœli ſtatu: item balneum aquæ dulcis frequens, præſertim mox à cibo, alimentorum quoq; humidorum copia, et potus plurimus, motus mediocris poſt cibum, uita ocioſa & ignaua, mollis æducatio, animi tranquillitas, ſomnus plurimus: & aliæ in aſſumendis humectandi uim habentia. Cauſæ morborum ſiccorum ſunt ueluti, ſi quis plurimum tranſpiret & parcè nutriatur, idq; alimentis quibus ſiccandi facultas ineſt, et quibus facile ad ſiccum morbum perducitur. potiſsimum ſi cura & uigilijs homo torqueatur. ſimiliter aeris nos ambientis ſiccæ conſtitutiones & balnea ex aqua ſiccante, ut eſt marina, nitroſa, aluminoſa, bituminoſa, ſulphuroſa: & alia quæuis aſtringendi facultate prædita: item medicamenta exiccantia ſumpta uel admota. maximè quæ immodicè purgāt. Motus quoq; plurimus, præſertim uacuo corpore & in aeris ſicci conſtitutione, & ut ſemel dicam, omnia quæ naturalem exiccandi facultatem habent, ſiue aſſummantur, ſiue

Morborum humidorum cauſæ

Morborū ſiccorum cauſæ.

siue admoueantur, corpora aridiora reddere consueuerunt. Duo igitur in uniuersum esse morborum genera Galenus ostendit, alterum in simplicibus similaribusq; partibus, quod etiam in compositis & instrumentalibus seu organicis commune est. uocaturq; unionis solutio: alterum ipsarum utpote primarum & simplicium particularum est, quod in calidi, frigidi, humidi & sicci intemperie consistit. Adhæc nonnunquam corpus alteratur omnibus causis conformi inter sese concordia conuenientibus, ob contrarias inter se facultates: atq; interim uincunt quæ uel numero plures sunt, uel tempore diuturniores, uel robore potentiores: interdum ex utrisq; ex æquo corpus noxam suscipit. Accidit autem (licet fieri non posse uideatur) ut idem corpus simul & calidius & frigidius, aut simul humidius & siccius quam pro naturali habitu, reddatur, uocaturq; hæc intemperies inæqualis, ut Galenus lib. de morb. caus. ostendit.

A figura etiam morbi desumitur indicatio. etenim uaciarum, uarorum, plancorum crura, minus expeditè suo munere funguntur, eo quod ab idonea figura deflexerint. Sic de fracturis, luxationibus, simis à natura, ictu, casu, callo eminentiori articulis innato, corde, pulmone, uentriculo, liene, renibus, epate, & id genus dicendum est, quorum uitiosa si fuerit figura, totius instrumenti functio deterior reddetur. Præterea multi-

multitudinis magnitudinisq́; cauitatum aut meatuum parti alicui debitorum defectu, partes organicæ læduntur, ut dum nimis patent, coalescunt, obstruuntur, à uiscidis crassisq́; humoribus, cauitatem internam occupantibus: aut à uicina aliqua parte ingruente constipantur, præsertim si corpora exiccata fuerint, atq; corporum ipsorum (quibus huiusmodi sunt meatus) essentia, interdum uel indurata uel phlegmone prædita uel tabescens uel suppurata, uel inflata, uel dum alias aduentitia magnitudine turget: deinde sua mole cauitates occupans, meatus obturat. Magnitudo inepta, quoties supra modum attollitur, in quauis parte corporis, tanta nonnunquam & in toto corpore, ut uix moueri queat, fitq́; ob materiæ utilis multitudinem: quia ualida est potentia: imminuitur uerò à causis contrarijs. Item organicæ partis affectio, numero decernitur, idq́; super abundantia & nullo ex usu, ut sextus digitus in manu uel pede. Pterygion in oculo, atq; tuberculum in aliquo meatu, quod causa morbi nempe obstructionis est: aut è contrario si pars quædam perierit, quæ iuxta naturæ ordinem adesse debuit. Sunt etiam toto genere præter naturam tum causæ tum morbi contenta in abscessibus: ut pus, & reliquæ materiarum species. Interea abscessus ipsi melicerides, atheromata, steatomata, humbrici et ascarides: calculus in uesica & renibus, grauedo, &

Magnitudo inepta.

suffu-

suffusio in oculo, uitiligines, lepræ, calli, acrochordones: ex quibus quæ actionem primo impediunt, ut suffusio, morbi sunt. Quæ uerò non primo, morborum causæ. Ex deficientia quoq; morbus has partes obsedit, idq; uel in partibus ipsis ex dimidio sectis, mutilatis, non formatis: uel in toto, ubi radicitus membrum aliquod amputatur, ut digitus, pes, ossa quædam, dentes exesi, glandula indurata, uena uaricosa, & reliqua huiusmodi, quæ si actionem (ut iam dictum est) lædant, morbi dicentur: si uero partem actionis opificem refrigerent, uel ei non satis alimenti transmittant, morbi sunt causæ. Quædam etiam & morbi causæ, ut gurgulio exectus omnino, nam uocem lædit & pulmonem atq; thoracem refrigerat: in quibus non ad oblata ut partem, sed ad relictam morbus referri debet. Affectus igitur, qui actionem planè uitiant, morbi erunt: qui uerò usum aliquem subtrahunt, morborum causæ dicentur, proinde partes quæ duplicem uel functionem uel usum obtinent, ex unica quandoq; noxa duplicem habebunt uel morbi uel causæ rationem. Quod si pars aliqua utrumq; poßit præstare, utpotè functionem & usum, sicuti gurgulio, eius abolitio una ratione morbus erit, altera uero morbi causa: & ad eandem causam quæ adhuc manet & seruata est, morbus est referendus, non autem ad eam quæ iam non est. Compositione etiam à na-

Affectus qui morbi & qui causæ.

à naturali habitu aberrante morbi naſcuntur: in poſitu quidem, ut ſunt articulorum tum luxationes tum cõmotiones. Item ſi uel inteſtinum, uel omentum in ſcrotum deuoluitur hoc epiplocele illud enterocele appellatur. Connexus porrò uicinarum partium ſi à naturali ordine receſſerit, impediet in ea parte motum articulis debitum. Huiuſmodi erunt uincula linguæ, & articulorum ligamenta, quæ quidem dum laxantur, intenduntur, rumpuntur: breuiora, longioráue fiunt quàm oporteat. Eiuſdem notæ ſunt labia, palpebræ, digiti, atq; aliæ eiusmodi partes, quum ulcus præter naturam in his coaleſcat. Porro continui ſolutio in oſſe quidem fractura, quæ κάταγμα græcis dicitur: in carne uero communiter ulcus: ſicuti etiam uulnus & ruptio quæ Græcis ῥῆγμα nuncupatur. Siue igitur magnitudine, ſiue defectu, numero, compoſitione, à naturali figura deflectatur, ſiue id per accidens, ut in neruorum tendonum, muſculorum reſolutionibus, conuulſionibus, diſſectionibus: ab eo unde talia originem habent, morbi indicationem deſumimus. Præterea partes quædam præter naturam exaſperantur, quæ antea fuerant leuia, aut leuigantur, quæ prius fuerant aſpera: illæ quidem ob acres humores: hæ autem ob pinguedinem & uiſcoſitatem. Quapropter cum non apte inuicem inter ſe commutantur, affectuum cauſæ ſunt. Exaſperantur oculi non

li, non solum ob iam dictas causas, uerum etiam ob acres uapores, puluerem, fumũ: Sic gula, uentriculus, intestina: & ob excrementa in ipsis genita, & ob ciborum potionumq́; qualitatem. quibus uenena adnumerantur. quæ si ualentius exasperent, in carne ulcus aut erosionem: in oßibus uero cariem obducunt.

Hactenus de simplicium morborum differentijs egimus: consequens nunc est ut de instrumentarijs dicamus. Sunt enim morbi quidam primi, ut diximus, et partibus simularibus proprij. ob id similares etiam dicuntur: alij instrumentarij, qui compositi sunt: unde phlegmone ad prima corpora, luxatio uerò ad instrumenta pertinet. Cum itaq; membrum aliquod, simul & luxatione & plegmone afficitur, luxatio quidem totius instrumenti primo morbus est, phlegmone autem neq́; primo neq́; proprie, sed per accidens. ita de oculis & lippitudine dicendum. & quemadmodum simplicium morborum, alius primo totius instrumenti morbus erat, ueluti suffusio: alius uerò ex accidente ut in ceratoide: ita compositorum quoq; morborum alij proprie ad totum instrumentum referuntur, ut qui eius complures particulas simul infestant ex causa tum interna tum externa: alij uerô per accidens: qui in uera quapiam particula consistunt, ut lippitudo: quæ in hærentis membranæ ceratoidi phlegmone est, parti organicæ propria. Sic enim affe-

Morbi instrumentarij.

Lippitudo quid.

ctus compositus dicitur quando duo uel plures morbi instrumentorum simul sunt, uel plures eius particulas simul infestant, ut in oculis suffusio & ptergion, uel rheade: nam horum quodlibet proprius est oculi morbus. Sic in lingua magnitudo nimia & asperitas præter naturam. Per accidens ad totum instrumentum refertur morbus, quando similarium partium multi simplices morbi, uel compositus aliquis sicuti in phlegmone, unam instrumenti particulam, aut singuli singulas offendũt. Sunt etiam morbi simplices in suis similaribus & organicis communes, ut in carne uulnus & ulcus: ruptio, contusio: Et in osse capitis rhegma, id est fissura seu rima, & thlasma, hoc est contusio, in capitis puerorum oßibus, quæ mollia sunt. In alio tamen oße fractura dicetur, & teredo, id est caries, quando scilicet foramen in osse apparet ab acribus humoribus eroso. In neruo spasma, hoc est conuulsio & fibrarum neruosarum diuulsio, quæ ut rhegma à motu fit repentino, inæquali, ualido, in corporibus ad motum inductis, antequam frictione ad motum inductis, antequam frictione ad æqualitatem perducta & calefacta sint. Per hos enim affectus multæ in his partes diuelluntur. Hæc ad partes similares proprie pertinent, per accidens uerò ad organa. Similiter utriq; parti, interdum morbi compositi simul inueniuntur: ut fractura cum ulcere, ulcus cum spasmo.

mo

mo, erosione, ruptura. Interdum cum morbis partium similarium uel organicarum simplicibus uel compositis: ut ulcus cum calore frigore, humiditate, siccitate sola præter naturam: uel calore & humiditate, frigore & siccitate. Ex hac breui enumeratione causarum morborumq; simplicium et compositorum, cum in partibus simplicibus & primis, tum in compositis & instrumentalibus cognitio haberi potest.

His dictis superest ut ad tertium præter naturam affectum, qui symptoma dicitur accedamus. Omnis quippe corporis affectus à naturali constitutione recedens, aut est morbus, aut morbi causa, aut symptoma. Illud tamen sciendum est, affectum et symptoma, etiamsi nomina sint latæ significantiæ, hoc tamen loco eam duntaxat significationem habent, ut sint præter naturam affectiones. Nam affectus ipsi generaliter si accipiantur, non minus sanis quàm ægris eius insinuabitur significatio. Similiter symptoma causam & morbum comprehendit, et utrumq; speciatim hoc loco sumi debet. Hic enim symptoma omnis affectus est præter naturam, ubi causam morbi internam & morbum ipsum exceperis. Pathos alteratio est in perpetuo motu, & interdum à naturali habitu non deflectit. At symptoma non solum in motu, sed etiam in habitu quodam est et omninò contra naturam, quod non aliter morbum atq; umbra corpus sequitur. Porrò sym- Symptoma.

rò symptomata quæ speciatim dicuntur (de his quidem in præsentia dißerimus) trifariam distinguuntur. alia enim corporis nostri sunt affectus: alia functionum noxæ & priuationes: alia ad utraq; consequuntur : ut sunt excrementorum immodicæ tum excretiones tum suppreßiones. Similiter strepitus qui in animante excitantur: atq; omnes reliquæ sensiles, tum animales tum naturales differentiæ. Porrò animalium actiones tripliciter diuiduntur: ut pote in sensiles, motrices & principes facultates. quarum quælibet per suas differentias distinguitur. Nam sentiendi animæ functio, quinq; modis perficitur: Nempe, *uisu, auditu, gustu, odoratu, tactu.* Horum *cuiuscunq; actio aboleri debilitari uel deprauarij potest. Sed mouendi functio certum sibi instrumentum uendicat, cuius prima symptomata sunt immobilitas, & ad motũ difficultas uel imbecillitas, & infirmus uel deprauatus motus.* P*ræterea animæ functio, quæ à principe potentia prodit, per imaginationem, cogitationem, et memoriam diuiditur.* Deprauati *motus exempla sunt tremor, palpitatio, concußio. sic & imaginationis noxam,* Paral*ysin, carum, catalepsin, delyrium: inter deprauatos motus collocantur. Est etiam infirmus ac ueluti deficiens motus in ueterno & lethargo. de quibus in nostris com. super* Hipp. *aph. diximus.* In *cogitandi functione dementia quasi resolutio quædam*

Actiones animalium tripliciter

Deprauati motus exempla.

dam est. Stultitia siue fatuitas, ut dicitur, imperfectus ac ueluti deficiens motus est. Fieri etiam potest ut ambas actiones delirium obturbet, ut de quodam Theophilo Galenus lib. de sympt. diff. meminit. Memorandi etiam animæ facultati possunt accidere symptomata, tum in ægrotantibus, tum in his quorum iam finiti sunt morbi. Postq̃ de symptomatis quæ principem animæ potentiam offendere solent dictum est, ad aliud genus functionum, quas non naturales uocant, transeundum. Harum quidem singulis eueniunt symptomata. aut quia in ipsis abolitur omnino actio: aut perperam fit in attractrice: ut appetentia abolita, uel difficilis seu imbecilla & immodica ciborum cupiditas, atq; in concoctricis potentia cruditas, tarda siue difficilis concoctio: & per corpus digestio. Circa sanguinis generationem cum aut non fit, aut male fit. huc refertur etiam aqua intercus. At uerò circa nutricationis actionem si scopum non attigerit: atrophia & phthysis accidunt: si uitiata fuerit, uitiligo, ophiasis, alopecia, & reliqua id genus symptomata. Item in expultrice facultate, si suum munus ipsa non obeat, seu non probe exequatur, symptomata ex utraq; bile consistunt. Est igitur ipsarum facultatum duplex symptoma: alterum cum male procedit actio: alterum cum omnino non fit, ut etiam in nostra institutione de morbis curandis scripsimus. Interdum etiam unicum Duplex facultatum symptoma

affectum, duo uel plura symptomata alterum ex alio sequuntur. ut ad imbecillum complexum fluctuationes, seu nonnunquam inflationes. Nunc ad reliqua symptomata, quæ retentrici potentiæ accidunt deueniamus, ut est singultus, ruptus & huiusmodi. Quarta, facultas est quam expultricem & propultricem nominamus. Huius priuatio in Ilei, id est, uoluuli morbi differentijs deprehenditur: imbecillitas uero in tardiusculis excrementorum deiectionibus. Sunt præterea symptomata quæ gustu et tactu deprehenduntur: ut ex sudore in os defluente, ac saluia quæ circa linguam continetur saporem inficiente. item cutis duræ laxæ, intentæ, aridæ, rugosæ, attactu. Porrò symptomata causæ rationem obtinebunt in intemperie morbo. Quæ uero symptoma partibus, ob affluentem aliquem humorem accidunt, eiusdem quo prædicta, sunt generis. quippe alia obturationem aut astrictionem sequuntur. Quicquid interea reliquorum symptomatum est, siue uoces siue strepitus in animante sint, atq; ea quæ à corpore excernuntur, & quæ declinentur in ipso, omnia tanq̃ soboles, inquit Galenus, à morbis originem trahunt, uel interuenientibus quibusdam symptomatibus. Interea faucium, asperæ arteriæ, pulmonum & thoracis morbi, uocis symptomata pariunt, quippe uocem reddunt clangentem, turbidam, tremulam & raucam: in alijs autem animantis partibus soni, stri-

ni, stridores sibili & id genus, idq; partim ob instrumentorum angustiam & motum errabundum partim ob spiritus inflantis abundantiam: uel quibusdam ex his, uel omnibus simul concurrentibus. At ea quæ præter naturam uel excernuntur à corpore uel detinentur, uel tota substantia, uel qualitate uel quantitate à naturali habitu recedunt. Eiusmodi sunt ueluti hemorrhagia, id est sanguinis eruptio, quæ fit uel aperto uasis osculo aut rupto uase, aut eroso. Muliebre profluuium ob easdem causas fit, uel eò quod sanguis factus sit tenuis seri substantiam referens. Sudores quoq; uel excernuntur immodice uel præter modum retinentur, idq; uel necessario, uel ob cutis affectum, uel ob dictarum facultatem aliquam, uel ob humorũ ipsorum naturam. Similiter sub hoc symptomatum genere continentur dysuria, id est, urinæ difficultas: ischurria: id est urinæ suppreßio, atq; stranguria quã urinæ stillicidium seu fluorem, atq; diabetem nuncupamus. Hemorrhagia.

Consentaneum nunc est ut præcipuas symptomatum causas inquiramus. Est autem causa cuius gratia aliquid fit. Et quemadmodum ex materiæ copia, acrimonia uel lenitate, morborum imminet afflictio: sic ex affectus excessu uel imbecillitate, symptomatis magnitudo uel imbecillitas nascitur. nam intemperies si parua fuerit, paruam quoq; functioni noxam infert: si Causa quid.

fert: si maior ad incrementi portionem augebitur & offensa: si uero plurimum à naturali habitu recesserit actionem funditus abolebit. quemadmodum de aquosi humoris qui est in oculo quantitate, substantia, & colore, si parum à naturali habitu fuerit aberratum, parua quoq; inferetur actioni iniuria, si multum, pro quantitate crescet actionis noxa. quod si plurimum deflectatur, functio in totum peribit. Item illustrißimi splendores, sicuti solis, niuis & eiusmodi, uisum offendunt & corrumpunt, eo quod discutiendi uim plurimam obtineaet. Porrò cui spiritus animalis simul et multus fuerit & æthereus, is res quæ distant & uidere & exacte discernere potest: cui uero paucus fuerit, sed purus, is ut res propinquas plane discernit, ita distantes haud quaq̃ uidet; quod si craßior simul fuerit & multus, res distantes quidem uidet, sed non ad unguem discernit: quemadmodum cum humidior simul fuerit & exignus, is neq; exacte neq; procul uidere potest. Præterea reliqua symptomata, quæ oculis euenire solent, ut sunt suffusiones (quibus uidendi facultas foris cernere uidetur) quæ in oculo apparent. Ad eundem modum quæ ex uentriculi uitio sursum rapiuntur. In aurium offensionibus haud aliter quam in oculorum affectibus accidit: Grauis etenim auditio & surditas animanti euenire solent: aut ob auris partem aliquam, aut ob neruum à cerebro descenden=

scenden=

ſcendentem, aut ob cerebrum ipſum, ſi ea in parte unde neruus oritur, oblæſum fuerit. Huc pertinent & ſordes illæ quæ creberrime in aurib. gigni conſueuerunt, atq; partium conſtitutio, in his ſymptomatum cauſas oſtendit, ueluti in lingua naribusq; iudicari poteſt. Eſt quidem lingua duplici facultate prædita, per alteram quidem ſentit, à tunica eam ueſtiente: Per alteram uerò uoluntatis imperio mouetur. In guſtandi ſenſu eiusmodi depræhunduntur ſymptomata: nam uel ſapores haud quaq̃ ſentit: uel uitioſe illos apprehendit: illic guſtandi tum functio, tum facultas impeditur: hic uerò cum lingua alieno quopiam humore fuerit imbuta: ſic ut omnia quæ guſtauerit, uel ſalſa, uel amara, uel alium quempiam ſaporem abſurdum habere uideatur. Similiter à naribus duplex actio proficiſcitur. Nam oderandi & reſpirandi eis conſtituta eſt facultas. utraq; enim (quando ſcilicet morbus aliquis ita acciderit, ut meatus unde ſpiritus tranſire ſolet obſtruatur) impediri poteſt, interdum & ſpiritus ipſe in uentriculis cerebri contentus afficitur ſi calida uel frigida intemperie ipſius cerebri uentres oppleantur: deniq; tum contuſiones, tum ſectiones in his partibus odorum ſentionem uel difficilem reddunt, uel omnino prohibent. Symptomatum etiam genera occurrunt, quæ ad attractricem facultatem pertinere dicuntur, ut ex cibis acidis acer-

Lingua duplici facultate prædita.

Narium actio.

bisq; dentium stupor, & huiusmodi: Item nerui multas ob causas stupidi fiunt, adeo interdum ut sensum & motum amittant. sicuti in paralysi, quæ si omnes neruos occupauerit, subito uniuersum corpus sensu & motu priuabitur, succedetq; interitus, eò quod spiratio prohibeatur. & tãto periculosior affectus, quanto cerebro propinquior fuerit. Vertebræ siquidem in inferiori loco affectæ (nisi ingens fuerit affectio) stuporem tantum sentient. At quibus quinta spinæ uertebra affecta est, eorum manus omnino sensum & motum amittũt: quibus uero sexta, ijs nõ in totũ sentiẽdi mouendiq; facultas perit. quippe primæ brachij partes illæsæ seruantur, sed id adhuc multo magis si septima tantũ fuerit affecta. Porrò quibus spinæ pars, quæ in ceruice est offensa fuerit, ijs omnibus uox abolitur. Cæterum ubi neruosæ partes difficulter sentiunt, pathema illud stuporem uocant. Oritur quidem cũ alias ob causas, tum ob intemperiem, sicuti ob frigida medicamenta. Nec differt à paralysi, nisi quod hæc maiora habeat symptomata. Ab stupore fiunt & ueterni, & sopores, ac stupores: a paralysi neruorũ resolutiones. Porrò symptomata quæ uentriculi orificium offendere solent, sunt syncopes, id est præceps uirium lapsus, & cardialgia, id est, cordis dolor. Ad hæc dyspnæa hoc est, difficilis respiratio, fit uel ob præcordiorum obstructionẽ, uel ob cardiacã, ut uocant, syncopen: Et

apnæa

apnæa quæ ſpirationis abolitio & ſtrangulatio eſt, et morbus comitialis, qui fit, ſi inſtrumentorum (quibus reſpiratio perficitur) nerui fuerint reſoluti. Mentis quoq; abalienatio, delirium, & inſania (quam Melancholiam uocant) inde euenire ſolent. quæ omnia per conſenſum accidunt. Abolita uerò & difficilis & deprauata appetentia, per ſe inhæret. Abolitã Galenus uocat cum quis continuo nihil appetit: difficilem quæ imbecilla eſt: deprauatam, uerò ad qualitatis alienæ deſiderium reducit. Hæc uocatur à nonnullis Canina. fitq́; uel ob acidi humoris uitiũ, quo mordicus infeſtatur uentriculus: uel ubi totum corpus immodicè diſsipatum, aſsidua indiget nutritione: quippe frigidi humoris uitium eroſionem inducit, atq; cibi magis quam potus deſiderium adfert, idq́; propter refrigerationem. Et ut ſuperius dictum fuit, interdum plura ſymptomata ordine ſeſe comitantur, ut in uentriculo ſymptoma primum eſt inanitio: alterum inanitarum partium naturalis appetentia, hanc ſequitur uentriculi ſuccio, deinde ſuctionis ſenſus, poſtremo ipſa animalis appetentia, omnium ultima, atq; functionẽ aboleri contingit, ſi uel ſuctionis ſenſus pereat, uel ſuccio non fiat, uel corpus non inaniatur. At deprauatas qualitates appetunt ij quibus uentriculi tunicæ malo quodam excremento ſunt imbutæ. Hæc quidem mala qualitate ſeu appetentia, mulieres uitioſis humoribus refertæ, uexari ſolent, idq́; cũ uterũ geſtant, uocaturq́; Appetentia.

Citta & malacia. Appetunt maximè acerba, nonnunq̃ acria, interdum cimoliam terram, uel testas, uel extinctos carbones, & id genus. At complures eò uitio laborant, usq; ad secundum & tertium mensem: in quarto uero quiescunt: partim quod uomitione uitiati humores expurgantur, partim quia concoquuntur, ut pote quia paucũ mulieres cibum absumunt ob fastidium: multitudo etiam humorum per uomitionem est imminuta. Etenim primis duobus mẽsibus fœtus paucum ad se sanguinem trahit, eo quod parum adhuc auctus sit: ubi uerò iam accreuerit, plurimo indiget alimento. quo tempore non id modo quod optimum est è uenis allicit, uerumetiam aliquid uitiosi simul attrahit. ita fit ut uniuersum corpus plethoricum esse desinat, & minori humerum uitio crucietur. Accidit & malacia uiris, quod ipsis quoq; uitiati humores ad uentriculi osculum defluunt. Immoderatam quoq; sitim uitiosi humores, salsi aut biliosi, cum in tunicis uentriculi continentur, excitant. Est præterea aliud symptoma uentriculi orificium infestans quod καρδιαλγία Græcis dicitur, ad sentiendi facultatem pertinens, ex succorum acrimonia. Hunc affectum improprie cordis dolorem antiqui interprætantur, cum tamen non cordis sed uentriculi ipsius orificij sit affectus. Accedit & βούλισμος, id est uehemens fames, quando scilicet uentriculus penuria, imbecil-

becillitate,& refrigeratione afficitur. Refrigeratur enim uentriculi osculum spiritu frigido, potione, cibo aut medicamentis suapte qualitate infrigiditantibus. similiter ex consensu cerebrum, quia per neruosum genus cum uentriculo, sicuti per magnam arteriam cor ipsum, frigoris iniuria afficitur. Etenim arteria hæc (quæ maxima est) à corde per spinam incedens, primum quidem stomacho iungitur, deinde ipsius osculo, ac deorsum procedens, ipsi quoq; uentriculo secundum longitudinem subtenditur. Porrò symptomata quæ à causis fiunt humidis, somnum inducunt & interdum pro somno, ueternum, grauemq; saporem. At siccitas immoderatior ac calor sicuti in phrenitide, ob succum quempiam & mordacem & calidum irritatum, uigilias infert. quas neq; mæstitia neq; sollicitudo peperit. Et ut apoplexia actiones, sic profundus somnus sentiendi functiones offendit. In utrisq; enim deprauatus cerebri motus depræhenditur. atq; ob id particulatim reliquorum quoq; membrorum omnium. deprauato quoq; motu communi genere continentur, conuulsio, tremor, palpitatio, rigor, horror, singultus, tußis, ructus, sternutamentum, pandiculatio, oscitatio, stridor. Sunt & conuulsionum differentiæ, de quibus in commentarijs lib. 2. Aph. Hipp. meminimus. Per inuersiones & strabilismos conuelluntur oculorum musculi: hinc si uel manus, uel crus

uel

uel musculus, uel alia quæuis corporis pars extendatur, aut conuellatur, ad illum semper neruum qui partem mouet referenda est noxa. Iam uero gonorrhæa aliam constituit differentiã: si enim rigido penè semen effluat, ueluti conuulsio quædã, et si non rigeat penis, ad retentricis facultatis imbecillitatem referri debet. Est etiam inspirationis quædam species ad conuulsionem pertinens, quæ si conuulsis musculis inspirationem efficientibus accidat erumpatq; ad externa, non parum offendit. ob id Hippocrates spiritum offendentem nuncupauit. Præterea apoplexiam, neruorum per uniuersum corpus resolutionem sicuti & morbum comitialem conuulsionem satis esse constat: itidem stuporem imperfectam quandam resolutionem. Interea stupidarũ partium offensa plures parit differentias, quàm testari sim coactus. Cæterum extensa manus duobus æque ualentibus motibus sursum quidem ferente facultate, trahente uerò deorsum insita grauitate. Sic & tremor duobus perficitur motibus, uno cum cogitur membrum ob grauitatem ad inferiora rapere: altero dum sursum fertur à facultate.

Tremor. Tremor igitur motus est compositus. sicuti arteriarũ pulsatio, in his quidem quies sensu percepta διαστολὴν, id est distinctionem separat à συστολῆ id est contractione, nisi forte densißimus aliquando fuerit pulsus, ueluti in formicante pulsu uidere licet. Porrò

ut in

ut in membrorum palpitatione fit motus paucus, tardus & rarus, ita in rigore fit multus, citus, & densus. Huc referuntur causæ quæ potentijs insunt, quæ quidem dum sanæ fuerint suas actiones perficiũt. Etenim uentriculus cibos concoquit, dum eos continet, si autem impediatur ex cruditate fiet symptoma. Porrò cõcoctio alteratio est secundum qualitatem. Et cũ alteratrix facultas actione priuatur concoctionis uitiosæ est symptoma. Interdum uentriculo haud quaquam affecto animans non coquit, aut propter ciborum potionumq; immodicam quantitatem, aut malam qualitatem: aut quia intempestiue, aut non recto ordine ingeruntur: aut propter excrementum inutile, uel somnum breuem seu studij cuiuscunq; fuerit considerationis uehementiã. Si propter cibos symptoma acciderit facile corrigitur: si uerò ob extremæ potẽtiæ casum in lienteriam, uel aquam inturcutem, quam tympanitem uocant, permutabitur. Quibus uerò ob potẽtiæ imbecillitatẽ id euenerit, ij in eam speciem aquæ intercutis accidere solent, quæ Anasarca dicitur. Cæterum omnis intemperies si uehemens fuerit, uires deijcit, & iuxta qualitatem quæ exuperat morbos gignit. ut si frigus uicerit frigidos: si contra calidos: idem in reliquis duabus appositionibus cõsiderare oportet Atq; si ob frigoris uehementẽ intemperiem cibus omnino crudus permanserit, neq; sitiũt qui afficiũtur, neq; febricitãt: Concoctio

si uero

ſi uero cibus immodice fuerit calefactus, tunc quidem abſq; putredine permanere nō poteſt. & qui hoc modo affecti cruciantur, malignis ac hecticis febribus interdum corripiuntur, quod ſi leue aliquod concoctionis ueſtigium cibis imprimatur, fueritq; ciborũ natura aut modice temperata aut frigidior, acidi ructus excitantur. Sunt & alia non pauca ſymptomata, quæ actionum imbecillitate uel humorum qualitate (de quibus alibi dictum eſt) in uarijs corporum partibus conſiſtunt. ut ſi fuerit multorum excrementorum redundantia, id ob alteratricis facultatis imbecillitatem accidit. Itaq; cum attrahendi uis ſuccum multum alliciat, non poteſt alteratrix quicquid attractum eſt conficere, tum multa redundantia excrementa, ad expultricem uim minus probè imbecilliusq; ſuo munere fungitur. Multa apud Galenum lib. tertio de ſympt. cauſis adhuc ſymptomata referuntur, ueluti in ſuppreſsione uel profuſione ſanguinis, alijsq; defluxionibus. Affectus igitur qui actionem uitiat morbus eſt. Hunc ſi quid aſſequitur: ſymptoma, & quod morbum excitat, cauſa dicetur.

DE CORPORIS HVMANI morbis & primo de febribus. CAP. XVIII.

Abſoluta

ABSOLVTA quodammodo ea Medicinæ parte quæ Græcis αἰτιολογικὴ dicta est, de morborum generibus dicendum, ab ipsis statim febribus desumentes exordium. Primum igitur scire oportet quod in uniuersum sint morbi: deinde ipsorum species: postremo quo pacto cuiusq; sit summenda curationis ratio seu methodus, de qua alibi scripsimus, atq; insequentibus dicetur.

Porrò morbus omnis est uel ex in simplicibus, primisq; qualitatibus, nempe frigore, calore, humiditate & siccitate: uel organicis seu instrumentalium fabrica: hoc est, numero, forma, situ, magnitudine: sub qua concauum (quod substantiæ partis amißio est) continetur. Tertio in unitatis solutione, cuius multæ sunt species, utpote uulnus, ulcus, fractura, caries, spasma, contusio, ruptura: & id genus. Et cum omne simplex prius sit composito, iure optimo ab ipsis febribus, eisq; simplicibus incipiemus, quæ intemperaturæ sunt calidæ & siccæ. Atq; non solum unam actionem lædunt, sed omnes totius corporis facultates. Interea simplex affectus facilius concoquitur, & minus quam multiformis est periculosus. quod Galenus lib. 1. crys. indicauit.

Morbus omnis triplex.

Febrium qualitas.

Febris igitur natiuus est calor in igneum conuersus, qui à corde initium sumens, per arterias et uenas, sanguine & spiritu mediantibus, in uniuersum corpus diffunditur.

Febris quid.

Febrium prima diuisio.

Cæterum prima febrium diuisio in duas partes est distributa, aut cum simplices illæ sunt, utpote cum calor præter naturam in spiritibus, uel uasis, uel solidis partibus accenditur: aut compositæ cum altera febris species cum altera coniungitur. Galenus sequutus Hippocratem, febrem diuisit, primum in differentias essentiales, quæ sunt à caloris qualitate & quantitate: deinde in accidentales. Primum quidem ab accidente propinquo, postea à remoto. Et cum mordaces febres dixerit, non solum in manibus ægri calor expendendus, sed quia aër ambiens potest immutare, ideo in medium thoracē ubi cor est, immissa manu calor mordax præcipuè deprehenditur. Mitiores eas febres uocauit, quarum calor blandus est & mitis ad tactum Medici. Sic & quod transpirat per cutim non acre & mordax, ut in illis, sed blandum: ut uidere est in pueris febricitantibus. Eiusmodi febres multæ sunt, uelut diariæ, Epiale: nonnullæ etiam pestilentes, in quibus pulsus & urina maxima ex parte fallunt: sunt enim similes naturalibus, Sunt & nonnullæ diariæ putrentes, quæ calorem habent acrem: aliæ non mordaces sed insurgentes: aliæ acutæ, quæ manus attactu iudicuntur. Etenim febrilis calor in humore contentus ac subsidens, qua parte manus Medici admota est ac diu detenta, clementior fit & tandē discutitur Porrò febres in quibus mitis & blandus calor deprehenditur, ubi tactui

Lib. 1. de diff. feb.

tactu quis instat mordax & acre sentit defluuium, & ob id increscentes dicuntur, cuiusmodi est quotidiana pituitosa. Itaq; Galenus exemplum ex ligno uiridi in primo de diff. febr. & nono Meth. adfert. ubi cutem febricitantium calidam semper esse debere dixit, ut poris apertis materia poßit exhalari. Nam si cutis refrigescat clausis spiraculis, excrementa retenta febrem augent. Quapropter in declinatione febris diariæ & biliosæ balneum consulimus, quod suo calore moderato rarefaciat cutim, euocet excrementa, & prohibeat alias acceßiones.

Febres interea ephemeræ seu diariæ proprium & inseparabile indicium est urinæ concoctio, statim primo die, & ad hæc pulsus in magnitudinem ac celeritatem auctio: ita ut frequentia per exteriorem quietem minime seruet proportionem. Magis præterea proprium & inseparabile indicium est quod contractio, quæ fit in arteriarum motu, minime in celeritatem crescat aut si increscat id minimum est ac cognitu difficile, nec non paululum à pulsu naturali recedens. Quinetiam caloris suauitas & æqualitas sicuti inclinatio quæ cum sudore aut madore, aut uapore quodam sua ui est quam integritas perfecta excipiat. Atq; ijs indicijs febres diariæ promiscuè cognoscuntur. Sunt igitur febrium simplicium tria prima genera seu species: Ephemera, putrida, hectica. Ephemera seu diaria fit quan-

Febris Ephemera.

Febrium simplic. genera tria.

fit quando immodicus calor in spiritibus (ut iam dictum est) incenditur, fitq; ut plurimum à sanguine calefacto non tamen putrido, sicuti Galenus lib. 2. de diff. feb. testatur. Hanc febrem latini diariam simpliciter appellant, eo quod solui uno die naturali sit apta. ex solis æstiui calore, frigoribus, laßitudine, exercitio, seu labore motuúe immoderato, item ex uigilia, ira, medicamentis acribus, atq; balneis calefaciendi astringendiq; ui præditis & huiusmodi, sicuti etiam in nostra de curandis morbis methodica institutione diximus. Cæterum febris Ephemera interdum primo die propter causæ paruitatem desini, interdum uerò propter ipsius multitudinẽ ad tertiũ usq; diem extẽditur, & tunc uocatur diaria plurium dierum, seu synochus non putrida. Quod si spiritus cum sanguine incaluerint ac diutius caliditatem retineant, tum Ephemera in putridam conuertitur, & cum id quod putrescere potest, depascentem semper calorem secundum cõtinuitatem habeat, non mirum si in hecticam quoq; degeneret: et progressu temporis in Marasmum. Porrò in febre Ephemera seu diaria ab initio ad exitum usq; una est acceßio, nisi ipsam excipiat ea quæ ex putredine humorum nascitur. Atq; in diarijs febribus causa effectrix abit quoties ab ira, dolore uigilia, cum sole æstiuo, fatigatione, bubone, uel pertinaci studio, cõstipatione, febris ipsa gignitur: manet uerò quoties

Feb. Ephemera duplex.

Feb. Ephemeræ una est accessio

uel ab

uel ab extrinsecis, ueluti frigore, ustione, balneo aquæ aluminosæ, & alijs id genus: uel ab ipsa febre, uel cõstipatio aliqua inde facta est Præterea febris diaria ex se indicationem habet; sed cum hac, naturam, ætatem, consuetudinem, anni tempus, cæli statum, regionem et uires expendere oportet. In reliquis autem quæ accessionis suæ causam intus habent, prima indicatio ab ipsa sumitur causa, cum nec in pulsu, nec in calore, nec in lotio putredinis adhuc animaduertitur nota: atq; ex sola obstructione quæ ortum habet, ipsius obstructionis solutione curatur. Particulares igitur ipsarũ febrium differentiæ una quidem cum effectricum causa amplius non est, ueluti ustio: altera cum adest ut constipatio, quæ est meatuum & cutis densitas. Hæc alias ex siccitate, feruore, fatigatione, seu ira prouenit alias ex frigore siue hoc simplex fuerit siue astrictoria quadam ui compositum. Porrò obstructionum ipsarum alia est ex abundantia: alia ex qualitate succorum, qui lenti & craßi sunt.

Alterum genus simplicium putrida febris nominatur, quando ob calorem præter naturã, tum intra tum extra uasa humores putrescunt: Intra uasa uel unus duntaxat, uel simul inter se. & si unus tantum putruerit, febrem iuxta peccantis humoris qualitatem excitabit: ueluti sanguis, si exuperet & putrescat, synochum putridam generabit: quæ sola sanguinis detra- Secunda febrium simplicium species.

 ctione

ctione antequam putresceret curari posse Galenus lib.9. Meth. & 2. Crys. ostendit. Aliquando etiam ex mala qualitate sanguis corrumpitur, aut dum alteri cuipiam humori putrescenti (cuiusmodi est bilis) permiscetur. Porrò febris quæ ex sanguinis putrefactione excitatur, triplex est species. Prima Græcis πυρετὸς ἐπακμαστικὸς, quæ quotidie augetur, fitq; cæteris periculosior. Secunda ἀκμαστικὸς, quæ æqualiter affligit, Tertia παρακμαστικὸς, quæ quotidie decrescit. Porrò bilis si intra uenas putrescat eam febris tertianæ speciem generabit quæ συνεχὴς græco sermone dicitur. Hæc continuo affligit, quanquam tertio die maior percipiatur affectus. Quod si intra uenas cordi propinquas bilis ipsa conclusa sit, quæ similiter aßidue uexat, ea tertianæ febris species erit, quæ græcis καῦσος dicitur, latinis uerò ardens. At febris ex bile quæ extra uasa putret unum diem intermittit, diciturq; à Græcis περιοδικὴ, id est, interpolata. περίοδον Græci uocant uniuersum spacium, à primo insultu unius acceßionis, usq; ad insultum alterius, nos uerò circuitum appellamus. Præterea febris intermittens duplex dicitur, aut enim ex pura bile aut alio quodam humore mixta. Quæ autem ex pura & syncera bile (quæ flaua dicitur) febris adest, statim cum rigore inuadit, atq; causodes nuncupatur, & bilis ipsius uomitu uel deiectione uel sudore, uel quibus-

Feb. ex sang: putrefacto triplex.

περίοδον quid.

Feb. intermittens duplex.

dam

dam horum uel omnibus simul curatur. Huius febris longitudo est horarum duodecim, uocaturq; tertiana exquisita: quæ quidem ex temperamento bilioso ac tempore, regione, uictu calido & sicco, originem habet. Præterea bilis copiosior longiorem quàm paucior efficit accessionem: tenuis breuiorem quàm crassa. Sic & uires ualidiores breuiorem imbecilliores longiorem. Et corporis dispositio rara quidem breuiorem, densa longiorem. Ad hæc febres biliosæ maximè ardentes sunt, nam bilis statim incenditur eò, quod omnium humorum sit calidissima & simplicissima. Feb. tertiana exquisita.

Cæterùm febri tertianæ exquisitæ si quid horum quæ dicta sunt defuerit hoc est, si accessionis tempus breue non sit uel initium cum rigore & non soluatur uomitu, sudore, uel alui deiectione: amplius non erit exquisita, sed simpliciter tertiana dicetur. Quod si & intermissionem minorem habuerit quàm pro sua natura, tertianam productam uocant. Interdum enim horis uiginti quatuor producitur, aut circiter triginta, uel ut plurimũ quadraginta, & tum ex accessionis tum intermissionis tempore alimenta administrabimus. Consistit igitur febris tertiana plurima ex parte in corpore bilioso, uigente ætate, æstiuo tempore. Similiter regione, temperamento, aëre ambiente, calidis & siccis. Item labore, cura, Feb. tertiana producta.

uigilijs, æstu, & uictu parco, tum calefaciente tum exiccante. Quin & immoderatus usus medicamentorum calefacientium & siccantium febrem tertianam gignit: quæ quidem (ut etiam in nostris commentarijs aphorismorum diximus) ultra septem circuitus non extenditur. Sunt & cõtinuæ febres ex flaua bile. harũ duplex genus est. Vnum quidem earum quæ synochi, id est continentes appellantur, in quibus una est accessio ab initio usq; ad finem, alterum earum quæ communi sed ambiguo genere, continue dicũtur, quæ multis particularibus circuitibus constant. Atque harum febrium duæ primæ sunt differentiæ: nam earũ quædam principio ad finem usq; æqualiter affligunt, quædam paulatim augentur, aliæ decrescunt atq; imminuuntur, ut iam diximus. Sunt etiam quæ solummodo tertio quoq; die habeant accessionem: aliæ die intermedio alteram accessionem inferunt. Ex continuis quæ in die medio accedunt, quædam in forma quotidianæ procedunt, duas accessiones similimas efficientes: quædam uero duas quoq;, sed dissimiles.

Febriũ ex flaua bile duplex genus.

Febrium itaq; simplicium ab humoribus, simplices differentiæ tres sunt numero, quædam enim & ut plurimum ex flaua bile, quædam ex atra & quædam ex pituita. nam febres ex sanguinis putredine quodammodo biliosæ sunt, eo quod sanguis ex moderato calore generetur, flaua uerò bilis ex maiore sicuti atra ex

atra ex sufficienter immodico. Quicquid enim pingue & tenue in sanguine est, fit flaua bilis, crassum uero ac ueluti fex, quando immodice calefactum exaruit, atra. Flaua etiam bilis quandoq; in atram conuertitur, cum assata fuerit. Cæterum febris quotidiana exquisita, à pituita fit intra uenas putrescente, quæ aßidue urget. Sed cum his humor extra uenas putret, interpolata est febris: quæ singulis diebus affligit ægrotandem.

Tertia species est ἠπίαλος sic dicta quod leniter affligat, fitq; à pituita uitrea profunda corporis parte quadam putrescente quæ multum frigida est. Hæc rigorem cum febre eodem tempore et corporis parte infert. Et quicunq; hac febre laborant eorũ corpus interius friget, exterius uero calidum sentitur. Huic contraria est λυπυρία quæ ex quotidianarum genere est, fitq; à phlegmate præter naturam calefacto ac incenso. Et quia ex dimidio uel parte aliqua phlegma in hac febre tantum putret, quotidie inuadit. Porrò simplex ac exquisita febris ex pituita putri, quæ per membra sentientia pellitur, incipit cum frigore partium extremarum, difficulterq; accenditur: sed longum obtinet incrementum, quia humor, ex quo febris hæc fit, frigidus est & humidus. ob id naturæ pituitosis ac tempori, regioni, studio, uictui, alijsq; omnibus pituitosum humorem gignentibus accidere solet. simi

liter in regione humida, uita ociosa, simul cum repletione & maximè quoties à cibo lauantur & multo magis post cibum pituitosum.

Feb. quartana.

In quartana etiam febre solus humor melancholicus intra ueras putrescit. quapropter sine intermißione (quanq̃ quarto quoq; die manifestius) affligit. Si uero extra uenas humor ille putrescat, interpolatam (ut de alijs duabus speciebus dictum est) generabit. quæ quarto quoq; die recurrit, & ob humoris craßitiem & frigiditatem tarde mouetur. Hanc febrem necesse est anteceßisse quicquid colligit atram bilem ex uictu, cæli statu, tempore, regione, ætate, & natura ægri melancholica, frigida & sicca. Atq; rigor hanc febrem præcedens, nequaquam ei qui tertianam præcedit, similis est. In tertiana enim quasi pungi corpus sentitur: in quartana uero rigor similem frigefactioni habet, qualis per gelu tempore hyberno percipitur, quemadmodum Galenus lib. 2. Crys. indicauit. Acceßio præterea huius febris, longitudine temporis tertianæ similis est. Atq; interdum accidit ut sit longior, quamuis exquisita, quoniam ex humore frigidiore generatur. Est altera febris quartana ex bilis adustione, quæ post feb. tertianam solet euenire, de qua in com. Aphorismorum nonnihil scripsi. Ex pituita igitur putri, quotidiana: ex bile flaua tertiana: & ex atra quartana efficitur. qui quidem humores si intra uasa

Rigor febris in quartana & tertianæ qualis.

uasa putreant, ex continuarum sunt genere, si uerò extra uasa tum non continuæ sed intermittentes nuncupantur. atq; de his plenius in praxi quam Deo uolente sum editurus.

Nunc de tertia febrium simplicium differentia quam in solidis partibus fieri diximus. Hæc autem hectica dicitur : quæ magna ex parte ex febrib. adurentibus ortum habet, & temporis progressu fit Marasmus. Porrò febris hectica cum ab initio procedit signa febris diariæ, ob mœrorem, iram, laßitudinem, magna cum ustione contractam habet. Distinguitur autem à Marasmo solo caloris affectu, nam hectica non solum sicca sed calida quoq; affectio est: marasmus uerò natiuum calorem extinguit, ac præcipitanter arefacit. Signa utriq; erunt oculi supra modum caui & quasi in fouea quædam reconditi, ob totius humidæ ipsius substantiæ consumptionem. unde oßa quibus palpebræ annexæ sunt, multum prominent. quinetiam lippitudines aridæ in eis uisuntur ac quædam squalida dispositio, qualis maximè inest eis qui per puluerem multum tota die sub sole calido iter fecerunt. Perit uiuidus color, habeturq; immoderatus squalor in facie, maximè circa frontem, atque ob siccitatem difficile palpebræ attolluntur, sed dormientium more conniuent, nec tamen somnus est illa affectio, sed uigilandi impotentia.

Tertia simplicium feb. diff.

Carnes

Carnes præterea consumptæ sunt circum tempora, ita ut & loca collapsa cauáq; appareant, cutis ad tactum perquam sicca & ueluti corium, si digitis eam quis attollat sentitur, pulsus gracilis, durus, debilis ac frequens, calor in primo occursu debilis, sed paulo post acer & erodens, maximè ubi tangendò quis diutius immoratur. Marcor seu marasmus incipit, quoties humor per corpus dispersus amplius fere, ne dum in ipso cordis corpore, inest. Pulsus etiam debilis, durus & frequens propter magnam cordis intemperiem. Et cum in hisce febribus hecticis leuitates intestinorum & fluores adsunt, seu statim ab initio, seu procedente tempore, marcor ipse subsequitur, nam humiditas abit.

Marasmus.

Febris hectica triplex.

Cæterum febris hectica triplex est, quædam enim Prima ac simplex & cognitu facilis: in qua diariæ febris (ut iam diximus) signa primo die appareant, atq; ex causa prægressa eius indicium sumere oportet, ut si ira præcesserit uel mœror & huiusmodi: & adhuc magis si ad secundum diem extensa, nequaq̃ desinat ad integritatem, sed neq; uehementior euadat.

Secunda dicitur media inter iam dictam speciem, & marasmodem, habetq; ambiguum ad curationem utraq; uersus momentum, & quæ Marasmodi propior est, magis periculosa: quemadmodum priori alteri propinquior spem obtinet sanitatis non paruam.

Inte-

Interea cuilibet hecticæ febri proprium inseparabileq́; signum est, quando ingesto cibo calor accenditur pulsusq́; in magnitudinem ac uelocitatem increscit, ita ut æqualis accesio esse uideatur, hoc est in qua nec horror exstitit, nec frigus extremarum partium, neq; somnus neq; pigritia insignis, uel in calore, uel in pulsu: imo nec paruitas, nec debilitas, nec aliud huiusmodi quicq̃. Hæc una continua est febris, ueluti ea quæ synoches, id est continua, proprie nominatur, quæ occurrentem ueluti flammam manum imponentibus habere uidetur. Præterea quoq; pulsus uelocißimus maximusq; existit. In febre autem hectica neq; caloris multitudo occurrit, & pulsus tanto minor, rarior, ac tardior est, quanto in synocho calor ipse mitior habetur, quemadmodum Galenus indicauit. Commune itaq; hectice febris indicium est, si exigua & æqualis semper sit à primo initio ad ultimum finem: proprium uerò eius quæ tabi affinis existit siccitas est: quoniam hectica febris sæpe absq; neceßitate adest, nequaq̃ transiens in marcorem. Lib. i. de diff. feb.

Præterea qui corporis habitum habuerit humidũ febre hectica statim ab initio nõ intercipietur, sed qui sicciorem maximeq; si is calidus quoque natura sit, & uitam delegerit in labore, uigilijs, cura, ac uictu tenui, ex his statim ab initio febre hectica ex ira et mœrore solet corripi, atq; id multo magis quoties æstas et consti-

constitutio calida est & sicca. Maximum quidem signum febris hecticæ fuerit, si arteriæ ipsæ sentiantur calidiores, quàm corpora quæ circiter sunt, quod per alias febres minimè euenit, sed adhuc euidentius signũ erit, ubi laueris, aut alio quouis modo rare feceris, ita ut humor quidam profluat, atq; calor ipse perspiret, quum moderatus calor in alijs partibus omnibus post talem perspirationem apparet, in ipsis autem arterijs nequaq̃ mitior priore. Sola ergo consistens hectica perspicua est, etiamsi marasmodes fuerit. Sed ubi cum aliquapiam fuerit complicata difficilius cognoscetur. Hæc de tribus febris simplicium speciebus.

Feb. pestilens. Sequitur ut de pestilenti de qua etiam alibi diximus, paucis perstringamus. Hæc autem à putredine ortum habet, ob id sub putrida potest cõtineri. Incipit autẽ magna ex parte ex putridis exhalationibus cadauerum & paludum seu stagnorum, æstiuo præsertim tempore, interdum immoderatus calor circumfluentis aëris pestilentis febris est principium. promptißimè quidem putrescunt quæcunq; calida & humida, aut multa in locis calidis, nisi difflentur & refrigerentur. & ij potißimum peste corripiuntur quorum corpora obnoxia sunt putrefactioni. Quãdo igitur aëris temperamentum ab ipso naturæ habitu immoderate ad humiditatem & caliditatem conuertitur, pestilentes ferè morbos oriri est necesse, atque eos maximè affici

affici, quorum corpora prius plena fuerint excrementosis humiditatibus. Ob id Hippocrates corpora humida statim exsiccare iubebat quando pestis iam imminere uidebatur. Et in ficcioribus pristinam naturam custodiebat. quæ uerò excrementis plena corpora iudicauit, purgationibus deijciebat quæq; noxam inferebant. Sic & meatuum obstructiones aperiendas liberandasq; ostendebat. Sed & corporum dispositiones dißimiles multiformesq; respiciebat. nam quædam uincũtur et facile ac promptißimè patiuntur ab agente causa, aliæ penitus impatibiles sunt, aut difficulter patiuntur. Signa per quæ pestilentem febrem deprehendamus, sunt deliria, flaua bilis, uomitiones, præcordiorum intensiones, exuperantes sudores, extremarum partium perfrigeratio, alui fluores flatulenti, biliosi, tenues. Ad hæc urinæ aque, biliosæ, tenues, nigræ, cum malis sedimentis & suspensionibus. Adsunt & stillicidia sanguinis, narium fluxus, ardores pectoris, sitis uigiliæ, mœrores, conuulsiones uiolentæ, & complura alia humanæ naturæ aduersißima. Considerandum quisnam sit temporis status: ut si aridum esse oportebat, & humidior sit redditus, necessum est ad siccitatem uictum conuertere, & humiditatem exuperantem siccare. Huius interea febris curandi methodus in libro quem de morbis curandis edidimus est tradita.

Com. iij. Epid.

Signa Feb. pestilentis.

Hacte-

Febres compositæ.

Hactenus de simplicibus febribus, iam uerò de compositis dicere progrediãtur. Febrium itaque implexus fit quando febres ipsæ diuersis horis inuadunt. Complicantur cum alijs eiusdem generis, ut continuæ cum continuis: intermittentes cum intermittentibus: item eiusdem inter se speciei: ut tertiana cum alia tertiana. similiter & quartana cum alia eiusdem naturæ, quæ quarto quoq; die recurrat, interdum etiam differentes genere, ut intermittens cum continua.

Cæterum febris tertianæ & quotidianæ quatuor sunt complicationes. Prima est tertiana & quotidiana. Hanc græci ἀμφημέρινον συνοχὺν, id est quotidianam continuam, illam uero τριταῖον uocant. Secunda quando tertiana intermittens quotidianæ continuæ iungitur. Tertia ubi quotidiana intermittens, tertianæ continuæ miscetur. Quarta ubi quotidiana continua tertianæ continuæ copulatur. Eadem ratione febres quæ ex partium inflammatione oriuntur nonnunquam complicantur, ut si partes diuersæ propriam febrem accendant, aut affectus unde oriuntur mixti fuerint, sicuti in inflammatione Erysipelatode. At uerò nisi simplicium febrium species prius cognouerimus, minimè compositas assequemur.

Quotidiana simpliciter.

Quotidiana simpliciter & sine adiectione ea dicitur, quæ singulis diebus accedens desinit ad integritatem, quæ quotidiana intermittens dici potest: sicuti ea

quæ tertio quoq; die accedit tertiana. Altera tertiana continua est quæ continuo affligit, tametsi tertio quoq; die euidentior fiat. Semitertiana quoq; assiduè uexat, ex tertiana & quotidiana continua ortum habens. Huius generationis duplex est modus, aut enim in unum tempus duæ acceßiones concurrunt, quarum una iuxta naturam ipsius semitertianæ inuadit, altera ab initio morbi usq; ad finem, quæ exquisita semitertiana dicitur. Ex his igitur acceßonibus altera præuenit altera cunctatur: aut ambæ eodem tempore fiunt. Similiter exquisita tertiana & quotidiana continua coniunguntur, fitque semitertiana, quæ uel flauam bilem exuperantem habet, uel eam pauciorem, pituitam uero copiosiorem uel contra, et quotidianæ uel tertianæ pathemata certiora: uel si æqualiter, æqualia. Cæterum exquisitam semitertianam Hippocrates in lib. 1. Epid. horrificam continuam & acutam uocauit. Galenus etiam lib. 2. Crys. non pauca ad huius notitiam scripta reliquit. Interea semitertianæ (quæ extensæ etiam tertianæ à Galeno uocantur) die uno magis quàm altero affligunt, atq; ab exquisitis tertianis differunt: quod in his intra horas duodecim exacerbatio circumscribitur: reliquæ uerò horæ febre uocant: illæ sine intermißione ut iam diximus, affligũt. Semitertianæ igitur ex intermittentium numero non sunt, quapropter periculo non ua-

Feb. Semitertiana.

Lib. vj. Epid. part. ij.

N cant,

cant, sed febres quarum paroxismi tēpus non breuius horarum 24. est, omnes simpliciter tertianæ uocabũtur, quibus uerò dicti temporis interuallum breuius est, exacerbationes uerò longiores, protensæ tertianæ dicuntur. Sunt autem quatuor omnia interualla & ea plerumq; ad tria usq; perueniunt, secundum eum quē tertio quoq; die fit circuitum. Duæ namq; dies, duæ pariter noctes, acceßionibus duabus interponuntur in omnibus illis quæ tertio quoq; die exacerbantur. Rarò autem febrem ultra tria interualla exacerbatam et ad integritatem finientem Galenus lib. 6. Epid. reperiri testatur. Ex quotidiana intermittente & biliosa continua, horrifica nascitur: Sed ex biliosa continuitatem & ex pituitosa horrorem: sicuti ingeminationes ex pugna mutua, maxime quoties humores ipsi fuerunt æquales obtinet. Rursus febres horrificas Hippocrates uocat, quibus per augmentũ & incremẽtum acceßionis: ut uocant, ægros horruisse significatur. Sunt adhuc tres febrium species, de quibus Auicēna: Prima, ubi corpus calore et frigore intus & extra præmitur, duplici materia phlegmatica: altera interius, altera exterius ad putredinem commota, quæ etiam quotidie affligit. Altera diurna est, ex phlegmate extra uenas die tantum putrescente & affligente. Tertia iam dicta contrariæ est, ut quæ per noctẽ premat & affligat ægrotantẽ. Sed nunc sequenti schemate, generatim dicta perstringamus. Feb.

Feb. igitur quedā
- Simplices: ubi calor præter naturā accenditur in
  - Spiritibus & tunc fit Feb. ephemera
    - Vnius Diei
    - Plurium dierũ
  - Vasis: et fit Synochus
    - Non putrida
    - Putrida
  - Partibus solidis: fitq; Feb.
    - Hectica
    - Marasmus
- Composita cũ altera febris alteri copulatur Vel generis
  - Eiusdem: ut cõtinua cum continuis
  - Diuersi: ut intermittens cũ continua. Vel etiam
    - Eiusdem speciei: ut tertiana cũ alia tertiana.
    - Diuersi: ut tertiana cũ quotidiana

Intra / Extra Vasa
- ἐπακμαστικὸς id est increscens: ubi plus est quod putrescit, quàm quod dissoluitur.
- ἀκμαστικὸς seu ὁμότονος, id est æqualitate affligẽs: in qua æquale est quod putret, ei quod dissoluitur.
- παρακμαστικὸς hoc est decrescẽs, quãdo id quod defluit, plus est quã quod decrescit.

ἠπίαλος & λυπυρία ex quotidianarum sunt genere.

DE RELIQVIS PARTICVLA- ribus morbis. CAP. XIX.

CAPITIS MORBI.

SVPEREST ut de alijs sigillatim morbis ordine dicamus. Ab ijs quæ caput inuadere solent sumpto initio. Et ut sunt uarij ita sunt diuersis appellationibus nuncupati, quas equidem à Græcis mutuati sumus. alioqui coacti fuissemus in omnibus ferè noua uerba excogitare. Alopœcia igitur, Ophiasis & Ptilosis ex eo sunt morborum genere, in quibus naturale aliquid est deperditum. fiuntq; ex humoris superabundantis uitio. quod ex cutis colore dignoscitur, atq; pro humoris peccantis figura duntaxat dissident: Illa deciduum capillitium: hæc locum tortuosis spacijs serpentis instar capitis affectum glabrum efficit. Sed Ptilosis palpebrarum est in callum indurata crassities rubens, quam magna ex parte, ut postea etiam dicetur, capillorum defluuium comitatur. atq; ciliorum pilos græci πτίλους nominant.

Alopœcia Ophiasis Ptilosis.

Pityriasis.

Pityriasis, quam Aegineta porriginem. Et Cornarius in sua ἐπιγραφῇ pruriginem uertit, tenuium est furfurearumq; squamularum ex capitis ac reliqui corporis superficie nulla relicta exulceratione decidua resolutio. Prouenit autem subeunte caput malo corporis humore: salsa ueluti pituita aut bilioso

seu

seu atrabilario sanguine. Excernuntur etiam à uesica laborante scabie, furfurosa quædam sed crassa πιτυρώδεα *ab Hippocratem lib. 4. Aphorismorũ dicta.* Aph. lxxviij. *Exanthemata summæ cutis pustulæ sunt, & exulcerationes subrubræ salebrosæq́;. Psydracia exiles sunt capitis excrescentiæ pustulis simillimæ quæ summam cutis superficiem exasperant. Achor affectio est in capitis cute tenuißimis foraminibus ipsam perforans, ex quibus uiscida sanies excernitur, Latini manantia ulcera (quæ in pueris plerumq; exoriuntur) & alij tineam uertunt. Cerion, latini Fauum appellant, quod humiditatem mellis haud absimilem cõtineat. Figura et aspectu præcedentem affectum æmulatur, amplioribus tamen foraminibus humiditas in hac continetur, cuius originem ad nitrosam salsamq́; pituitam Medici retulerunt. Sycosis tuberculum est ulcerosum, rotundum, subdurum, rubicundum cum dolore, latini ficum appellant. Nec solum capiti, sed reliquo corpori, præsertim circa pudenda, hærere solet. Phthiriasis, pediculorum est generatio: quæ in pilis superciliorum, alarum, ac pudendorum: interdum etiam in uniuerso corpore erumpit.* ἀπὸ τοῦ φθέιρος, *id est, à pediculo. Syriasis est partium circa cerebrum eiusq́; membranas inflammatio, infantibus accidens. In ea enim fit concauum syniciput, concaui itidem cum pallore oculi. Accedit etiam totius*

Cephalalgia. corporis ariditas. Cephalalgia dolorem capitis significat, præsertim eum qui inueteratus non est. Contingit enim uel ex casu uel malo corporis temperamẽto. Interdum ex humorum redundantia, nõnunquam ex utriusq; culpa: aliquando etiam ex causis primitiuis & extrinsecus incidentibus sicuti in nimio æstu, frigore, temulentia, iniuriaúe quacunq; alia capiti illata. Cephalæa. Cephalæa cerebri morbus est diuturnus inueteratusq; ac difficulter solubilis, qui à parua occasione uehementes etiam dolores concitat, adeo ut qui sic ægrotant non poßint strepitum, uocem, luminis splendorem motum, odores, neq; aliud quicquam quod cerebrum repleat, sine dolore maximo tolerare, sed trãquilla omnia, & obscura loca, idq; ob doloris uehementiam quærunt. Grauius enim quam Cephalalgia affligit. Porrò qui Cephalæa laborant, aliqui ueluti malleo se percuti arbitrantur: alij caput sibi confringi distendiq; putant, atq; non paucis ad oculorum usq; radices affectus percipitur: quin & acceßiones ueluti in morbo comitiali intermittentes habent: unde perfectè liberati uidentur. Constat enim eos qui uitioso uictu utuntur, facile Cephalæa corripi, quemadmodum Galenus, lib. 3. loc. affect. indicauit. Encausis. Encausis capitis est dolor ex calore, ustionem seu ardorem uocant: fitq; ut plurimum solis æstiui uehementia.

Nemie

Hemicranea etiam diuturnus affectus est, in altera duntaxat capitis parte, interdũ dextra, interdum sinistra. Alij extra caluariam, alij in intimis capitis partibus dolores sentiũt. Porrò hemicranea ageneratur ex uaporosis halitibus sursum elatis, atq; biliosis excrementis in ore uentriculi accumulatis. Hemicranea.

Scotoma, *latini uertiginem appellant, magna ex parte ex frigidis glutinosisq; humoribus accidit, cerebrum infestantibus. Causæ primitiuæ sunt res nõ naturales, uapores crassos in cerebrum deferentes: ut cœpe, allium, uinũ potens et uaporosum: Causæ uerò antecedentes sunt omnes humores: Coniunctæ autem causæ, sunt uapores mixti spiritibus. Et qui hoc affectu corripiuntur leui causa interdum concidunt, ueluti dum extrinsecus circumagi aliquid uiderint, uel ipsi in gyrũ uertuntur. Præcedit primogeniam affectionem capitis dolor uiolentus, sonitus, & sibila aurium. Læduntur etiam nonnulli odoratu, Nec desunt quos offendat gustus. Interdum & per consensum fit uentriculi.* Scotoma.

Phrenitis, *est mentis uacillatio atq; cerebri uel membranarum eius inflammatio, nunc ipso pariter inflammato, nunc præter naturam caloris abscessu æstuante, trahit originem: aut ex sanguinis redundantis copia, aut immodico flauæ bilis humore: aut flaua bile præter modum torrefacta, eamque in nigriorem tendente, unde grauißima phrenitis oritur:* Phrenitis

nonnunq̃ cerebrum ſyncipiti compatiens ex diſeminatis hincinde in ipſum neruis affectionem contrahit. Si interea per ſummos ardentiſsimarum febrium uigores uel ſtomachi conſortio, mentis alienatio acciderit, phrenitis non uera dicetur, quæ alias delirium, quod Græci παραφροσύνην nominant. Eſt autem delirium ut Gal. definiuit, deprauatus principis facultatis motus, à malis ſuccis uel cerebri intemperie ortũ habẽs. Comitatur porrò magna ex parte phreneticos peruigilium: nonnunquam inquietus & turbulentus ſomnus: ita ut ſubinde exurgant, exiliant, ſeu horrendo furore correpti uociferantur. Alij quidem ob ſanguineũ humorem præpollentem hilares cum riſu, alij uero propter flauam bilem impetuoſe inſaniunt. Et qui ex atra bile uitium contraxerunt, ſic efferuntur ut coerceri nequeant. Si interea per conſenſum diaphragmatis error oriatur, inordinata erit reſpiratio. Conuelluntur namq; ſurſum præcordia et calore multo æſtuantur: ueluti cum phrenitis, cerebri uitio concitatur: ardor, ruborq; ſubcruentus in facie cum uenarum extuberantia elucet. In uniuerſum bilioſo præpollente humore phrenitis cum uigilia fit: pituitoſo uero ſuperante, ſi quando contigerit, grauati ſomno ſopiuntur. Lethargus, quem ueternum Latini uertunt, materiam phrenitidi contrariam habet: nempe pituitam, quæ cum cerebrum irrigat, in ſomnum cogit. co-

Delirium. Lethargus.

git.co-

git. Comitatur autem ueternosos, lenta quædam & ignaua febricula, pulsus adest magnus rarus & turbulentus: respiratio quoq; ualde rara & debilis, segnes & languidos reddit hic affectus ægrotantes. qui cum uocantur ægre respondent, obliuiosi desipiunt atq; oscitant: cerebro etiam & ore aliquandiu distento manent. Porrò Lethargus et Carus inter se differunt, in illo quædam lenta & ignaua febris, ut iam dictum est, sequitur, in hoc uerò febris præcedit uehementior, sicuti in lib. 2. Aph. com. 45. etiam diximus. Caros affectus est quem sensuum motionumq; uniuersarum priuatio citra respirandi offensam, consequitur, Arabibus subet. Catalepsis, quæ catoche etiam dicitur, subita est detensio & occupatio, tum mentis tum corporis, sensu ac motu priuati: ægro in ea corporis forma ac figura permanente, in qua fuit correptus. Et qui hoc detinentur affectu, uidentur interdū dormire, interdum apertis palpebris persistere, uel nutare, uel intentis oculis ueluti congelatis & immobilibus spectare ac intueri. Ephialtes, quem latini incubonem uocant, affectio est ubi aliquis noctu sese aggredi ab aliquo, aut prægrandi mole sese opprimi existimat. Id crapulosis potißimum & quibus stomachus humoribus crudis est refertus euenit. Affectus hic si perseueret, graue aliquod malum promittit: ueluti attonitum morbum, furiosam insaniam & mor-

Lethargus & Carus inter se differunt.

Caros.

Catalepsis.

Ephialtes.

bum comitialem quàm primum uidelicet in caput uitij materia irrepserit. Cæterum quæ Epileptici interdiu, eadem noctu Ephialtici patiuntur.

Epilepsia. Epilepsia seu morbus comitialis corporis totius est conuulsio: quæ ex temporum interuallis accidit, cum mentis ac sensuum oblæsione, nunc quidem pituitosum, nunc melancholicum humorem in cerebri substantia, partim in ipsius uentriculis causam habens. Accidit namque ut qui hoc morbo conciderit, neq; uideat, neq; audiat, neq; ullo sensu quicq̃ percipiat, ac ne consequi quidem poßit quidnam factum sit, siquidem cum memoriæ uiribus ratio quoq; læditur. ueluti Galenus lib. 3. loc. affect. docuit.

Apoplexia. Apoplexia morbus est quem nos attonitum uocamus. fit enim quando communis neruorum origo afficitur, atq; uniuersæ inde corporis partes sensu simul & motu priuantur: idq́; principalibus animæ functionibus oblæsis. quod si in alterutram hominis partem sese obstructio insinuanit ἡμιπληξίαν, id est diminutam apoplexiam & παράλυσιν, hoc est resolutionem nuncupant. Quocirca seruatur in apoplecticis exigua quædam respiratio: quæ si plurimum à naturali operatione recesserit, summam pernitiem adducet: si paululum exiguam. Sanè omnium

Pessima respiratio quæ. peßima respiratio est, quæ & intermittitur & magna cum uiolentia requiritur. Fit autem apoplexia ex gelida pituita cerebri, neruos infarienti.

At pa-

At paraplexia resolutio est quæ sequitur apoplexiam. sicuti Galenus lib. 4. uict. acut. ostendit. Attoniti seu apoplectici igitur procumbunt sine uoce sine motu, citra sensum & absq; febre. Paralysis, neruorum est resolutio à torpore, sola magnitudine differẽs. quæ si omnes occupauerit neruos repente uniuersum corpus sensu & motu priuabitur succedetq; promptißima mors: eò quod prohibita sit transpiratio, sicuti Galenus lib. 1. de symp. cauſ. indicauit. Torpor affectus est à refrigeratione, & compreßione corporum neruosorum: aliàs uitæ ignauia, ciborum multitudine, craßitie aut solitæ excretionis suppreßione cõpositus. Melãcholia morbus, desipiẽtia seu alienatio quædam mentis est sine febre. Huius notæ communes sunt, metus, mœstitia profunda, odium & huiusmodi: Peculiares uerò gracilitas corporis, nigredo, hirsutum pectus, & austera quædam affabilitas. Plura in nostris commentarijs Aphorismorum, quæ ad hanc affectionem spectare uidentur. Paralysis. Torpor. Melancholia morbus.

Mania, fit ubi flaua bilis supra modum exusta, in nigram mutatur. Latinis insania dicta, qua correpti effrenes redduntur. Differt à phrenitide quod in hac sit febris: Mania uerò citra febrem accidit. unde autem generetur etiam in com. Aphorismorum: aph. 46. lib. 2. ostendimus. Mania.

Lycan-

Lycanthropia affectus est, quo qui afficiuntur sese in lupum conuersum iudicant, unde per noctem domo egreßi, lupos per omnia imitantur: interdiu, uerò omnia metuentes latitant. Exoticus furor, est quando quis præ amore insanit. Spasmus neruorum affectio est quam conuulsionem uocant, fit enim quoties nerui & musculi præter uoluntatem conuelluntur, idq; multis modis: aliquando enim à plenitudine, utpote cum circa morbi exordium, uel nõ multo post conuulsiones orsæ diutius manent: interdum à uacuatione, cuius rei fidem faciunt copiosi corporis sudores, aut uomitiones, excrementorum alui deiectiones, sanguinis profluuia, uigiliæ immodicæ, fames permulta, deniq; uehementes commotiones: atq; ubi aliquis subito conuellitur: à plenitudine id fieri est indicium. Verum si à febribus adurentibus totius corporis moles & nerui pariter aruerint, ex illaq; ariditate conuulsio fiat, exitiosißimum est. De triplici spasmo seu conuulsione in com. Aph. lib. 2. & alijs quibusdam locis indicauimus. Tromos hoc est tremor, affectus est duplici motu constans, ad superiora uidelicet & inferiora. Omnis porrò tremor generatim ex infirmitate neruorum ducit originem, ueluti in senibus apparet. Priuatum uerò plures & diuersæ causæ tremorem efficiunt, ueluti frigidius naturæ temperamentum, importunus aquæ frigidæ potus, præsertim in febribus:

Prætе=

Præterea & glutinosi humoris redundantia, nec non immodicus uini usus. Interea capitis solum affectus nõ est: licet ab ipso uel spinali medulla nerui omnes origi=nem ducant: sed aliarum quoq; partium neruosarum.

Catarrhus quem latini destillationem appellant, humoris est à capite in subiectas partes descensus, qui si in nares defluat, κορίζα græcis nuncupabitur: la=tinis uerò mucus & grauedo. Si uerò per palatum in fauces deferatur, Catarrhus simpliciter uocabitur: Si autem idem excrementum in guttur & asperam arte riam delabatur, ita ut interiorem eius membranam sa lebrosam reddiderit (eum quidem uox rauca comita=tur) βράγχος appellatione græca nuncupabitur.

OCVLORVM PATHEMATA.

ATROPHIA ex inopia nutrimenti est affe ctus, qui dum oculos contingit, eos exiliores ac depreßiores reddit. Ecpiesmus, ἐκπιεσμὸς etiam græcis dicitur, oculorũ est expreßio seu exi tura, quacunq; causa fiat. Strabismus seu στραβισμὸς conuulsiua musculorum, qui bulbum oculi mo=uent, est affectio, atq; obliquus aspectus seu oculorum distortio dicitur, ex qua sursum aut deorsum, uel in ob liquum oculi detorquentur, unde qui sic afficiuntur strabones dicti sunt. Myopia quæ μυοπίασις etiam dicitur luscosa est affectio siue uitium oculorũ, quo

quo ab ineunte ætate pusilla propius admota cernuntur, remota uerò quantumuis magna fuerint, non item. & qui hoc correpti sunt affectu, luscosi appellantur. Nyctolopia, non morbi genus est, sed dum quis oculorum uicio laborat ut interdiu clarius cernat aduentante nocte, oculis sit hebetioribus: noctu uerò nihil uideat, quod uitium in fœminam benè respondentibus menstruus, ut Celsus testatur, non incidit, latinis nocturna cœcitudo, & mußitatio dicitur. Hebetudo oculorum græci ἀμβλυώπιαν ut sus obscuritatem uocant. Est autem obtusio uidendi, ex occulta quadam occasione proueniens. Caligatio, quæ Græcis μαυρώσις dicitur cernendi est impedimentum absq; manifesto uitio. Epiphora, quæ uulgo lachryma uocatur, est humorum in oculos influxus fitq; ut plurimum cum tumore & inflammatione. Rexis ruptura est ab ictu uel humore erodente. Taraxis quæ ophtalmia leuis seu non uera appellatur, humiditas est oculi cum rubore & calore præter naturam non ex internis causis, sed extrinsecis aliqua occasione aduenientib. sicuti fumo, sole, puluere, oleo. Sed de hoc & reliquis morbis in nostra synopsi plenius dicetur. Ophthalmia quæ latinis lippitudo dicitur membranæ adnatæ est inflammatio.

Taraxis. Ophthalmia. Chemosis.

Chemosis, affectus est quo ex uehemẽtiore oculi inflammatione, utraq; palpebra ita distorquetur per-

uertiturq́; , ut egerrime ſubiacentes oculi partes te- gantur , & album oculi nigro ſublimius fit, ac rubeſ- cit magnamq́; nigri partem occupat. Pterygion, unguis. Corn. celſo dicitur. Eſtq́; neruoſa quædam ad- natæ membranulæ excreſcentia : quæ ab angulo ma- iori, ut plurimum oritur & ad coronam uſq; ſeu Irim oculi procedit : adeoq́; nonnunquam augeſcit ut pu- pillam ſuperet & operiat. Phlyctænæ puſtulæ ſunt exiguæ, ſuper tunicam corneam eminentes. Pterygion.

Bothrion cauum, auguſtum, purumque in cornea tunicula ulcus exiſtit: latini foſſulam appellant. Bothrion.

Cœloma, ulcus eſt, ut bothrion, ſed minus pro- fundum. Argemon ulcus eſt quod in Iridis circu- lo naſcitur, & ambientia comprehendit, ita ut ex- tra Iridem ſubrufum : intra uerò album appareat.

Epicauma, ſordidum eſt ulcus, impurum & cru- ſtoſum. quod dum expurgatur, ſæpius humida quæ ſunt in oculo efluunt. Achlys, ulcus eſt ſuperfi- ciarium & caliginoſum, quod in nigro oculi multum apparet. Nephelion, eiuſdem generis ulcus eſt, ſed caligine profundius & anguſtius, colore nigricans. la- tinis nubecula. Pyoſis & hypopyos, fit quando in cornea oculi membrana nūc altius, nunc in ſumma ſu perficie ſuputatio naſcitur, humanarū unguiū ſpeciē referens, unde Græcis ὄνυξ etiam dicitur. Pyoſis & hypo pyos.

Carci-

Carcinoma seu cancer in cornea oculi membranula abscessus est, immensum dolorem excitans, ruborem & cruciatum punctorium usq; ad tempora infert. Proptosis uueæ membranæ procidentia est, ab erosione ruptioneq; corneæ contingens, quæ si exigua adhuc fuerit, modis omnibus (ut inquit Aegineta) muscæ caput repræsentat unde μυϊκέφαλον nuncupatur. & dum aucta instar acini uuæ fuerit σταφύλωμα Græcis, Latinis, uuatio dicitur. Vbi uerò adeo egredietur ut extra palpebras emineat, μῆλον nominatur. Cum deniq; obcaluerit ἧλος, sicuti latinis

Mydriasis. clauus nuncupabitur. Mydriasis affectus est oculorum, quo non immutato calore pupilla naturali habitu fit laxior, & nonnunquam facultatem uisoriam ex toto impedit: interdum ex parte tantum. Latini

Phthisis. pupillæ dilationem & effusionem appellant. Phthisis contrarius plane affectus est, quo pupilla angustior, obtusior, hebetior, rugosiorq; redditur: & quæ cernuntur maiora esse apparent quàm sint. oritur ab ariditate. Latinis diminutio & tabes pupillæ dicitur.

Hypochysis Hypochysis & hypochima, est ubi lentus humor & glaciei modo, inter corneam & cristalloidem concretus circa pupillam subit latini suffusionem & ca-

Glaucoma. taract a appellant. Glaucoma cristallini humoris est uitium, quando scilicet ex humiditate in glau-

Aegilops. cum colorem mutatur. Aegilops tumens abscessus

est

est inter maiorem hirquum oculi & nares medius: qui ruptus si negligatur, in fistulam abit ad os usq; procedentē. Idem abscessus priusq̃ disruptus sit, Auicennæ garab. id est, fistula lachrymalis dicitur: atq; difficile hoc uitium eliditur, tū ob partium tenuitatē, tum ob periculū quod ex consensu, oculo imminet. Encanthis *oculorum labes est, quando maioris canthi naturalis caruncula exhorrescit, & ad nares protuberat.* Fistula lachrymalis.

Ryas *eiusdem carunculæ imminutio est.* Epinyctis, *ulcus est sponte sua nascens, quod aciem oculorū obtundit. & ad oculi angulum humor perpetuo manat.* Emphysima *palpebræ tumor est seu excressentia & inflammatio, laxo tumori similis.* Psorophthalmia *pruriginosa palpebrarum scabies est, ex salso nitrosoq; humore originem ducens.* Sclyrophthalmia *durities est quædam & difficilis admodum palpebrarum commotio, cum dolore ac rubedine absq; humoris affluxu.* Xirophthalmia, *pruriginosus est palpebrarum affectus. Latinis arida lippitudo & oculi siccitas dicitur.* Ectropion *palpebræ est inuersio: propter cicatricem aut carnis excrescentiam facta.* Trachoma, *interna est palpebrarum scabies & asperitas: cuius duæ sunt species, quæ enim extensa ac rigida ueluti in fissuras exasperatur, σύκωσις dicetur: quod scilicet granorum ficus similitudinem habeat. sed cum inueterata fuerit & callosa tunc τύ*

Ptillosis. λωσις nuncupabitur. Ptillosis craßities palpebrarum callosa, rubicunda. quam magna ex parte capillorum defluuium consequitur. Agglutinatio palpebrarū quam Græci ἀγκυλοβλέφαρον & ἀνκύλωσιν uocant, affectus est ubi cum albo uel nigro, uel sibi ita inuicem palpebræ coalescunt & conglutinantur, ut aperiri oculi non poßint. Lagophthalmi. Lagophthalmi dicuntur qui superiorem palpebram sursum retractam habent, & oculis apertis ueluti lepores dormiunt. contrarius affectus est, Ectropion.

Grauedo quam Græci χαλάζιον appellant, palpebrarum candidum (est ex humore otioso) tuberculum. Hordeolum. Hordeolum, ab hordei grani longiusculi similitudine dictum est: & est affectus qui in palpebra supra genas extrinsecus nascitur Græcis κρίθη dictus. Hydatis, crassus essentia fluxus est, sub cute palpebrarū naturaliter conflatus, oculos aggrauans, præsertim tempore matutino. Et qui sic laborant, ad solis splendorem oculos sine lachrymis conuertere non possunt. Phthiriasis est pediculorum in palpebris collectio. Glabricies palpebrarum, quam Græci μαδάρωσιν & μίλφωσιν appellant, pilorum qui palpebris insunt defluuium est, ex humorum corruptela: Trichiasis. Trichiasis, molesta est in palpebris pilorum oculos pungentium eruptio.

Dystrichiasis, est cum sub naturali ordine pilorum

qui

qui in palpebris nascuntur, alius ordo succrescit.

Phalangosis, pilorum est subnascentium duplex aut triplex acies, tum in superiore tum inferiore palpebra prouenien. Lithiasis est cum in palpebris gignuntur albicantia quædam & aspera calculi instar. unde in oculos grauitas compungens sentitur.

Ippos affectio est quæ statim enata, perpetuò instabiles palpebras efficit. Aporrixis, meatus à cerebro est in oculum descendens, ex capitis quadam oblæsione corruptus. Paremptosis, affectio est quando scilicet aliquis humor defluens meatum uisorium, quo uidendi facultas ad oculos fertur, obturat. Symptosis uisorij meatus est compreßio, ex tabe uel imbecillitate. Hyposphagma et hypopion, ex ictu uel contusione sanguinis est, intra tunicas oculorum collectio. Cicatrices oculorum (quæ duplices sunt,) Græcis οὐλαὶ nuncupatur, si in summa oculi superficie fuerint, νεφέλιαι. Latinis uerò albugines tenues, Et ubi altius radices egerint, λευκώματα, id est crassæ albugines dicentur. Cicatrices oculorum.

MORBI QVI AVRIBVS

adueniunt.

OTalgia, seu ὠταλγία, aurium est dolor seu paßio ex quauis occasione. Dysicia, audiendi est difficultas quouis modo acciderit. Cophosis surditas est siue à principio, siue postea contracta sit. Otalgia. Cophosis.

Parotis, glandularum quæ auribus adiacent, est inflammatio. Phirea, oblongæ eminentiæ sunt glandularum auribus adiacentium. Cypsele & κυψέλις aurium sunt sordes, quæ obtusiorem auditũ reddunt. Thlasis, contusio & compreßio eorum est, quæ sunt in auribus foraminũ. Sunt & alia accidentia ut tinitus ex uaporibus scilicet seu flatibus geniti, seu pituita tum salsa tum alia.

NARIVM MORBI.

Ozæna. Polypus. Hæmorrhogia. Coryza.

OZæna ulcus nariũ carnosum ac putridũ est, ex acrium humorũ fluxione, unde fœditus odor expiratur. Polypus, tuberculũ præter naturam est, in naribus obortũ. Sarcoma carunculæ est in naribus præter naturã excrescẽtia. Myza humor est ex naribus defluens Latinis mucus & excrementũ narium dicitur. Hæmorrhogia, ferè semper cum simpliciter profertur, sanguinis è naribus profluuium significat. alias profusionem sanguinis undecunq; fluat. Coriza humoris est à cerebro in nares descensus.

FACIEI ACCIDENTIA.

Epcles.

EPheles, ἐφηλὶς græcè nigrities est in facie et asperitas, ardore solis progenita. Phacos subnigra faciei est macula, lenticulæ similitudinẽ habens,

bens unde etiam lentigo et lenticula à latinis dicitur.

Vari qui græcis ἴονθοι appellantur, conſparſi ac ſœdi ſunt tumores in facie, ſed exigui ac duri. Vari.

DENTIVM AFFECTIONES.

ODontalgia, dentiũ eſt dolor undecunq; fiat. Odaxiſmos pruritus eſt intra gingiuas, cũ incipiũt dentes erũpere. pueris omnibus cõmunis affectus. Odontophnia puerorũ eſt dentitio, ubi ſcilicet dentes è gingiuis prorumpũt. Hæmodia ſtupor eſt dentium ex aciditate alicuius cibi: & præſertim immaturorum fructuũ. Gingiuarum inflammatio quæ non ſoluta putreſcit, à Græcis παρουλὶς eſt nuncupata. Carnoſa eminentia iuxta dentium aliquem in gingiuis facta, ἐπουλὶ dicitur. Odontalgia. Odontophnia. Hæmodia. Gingiuarum inflammatio.

ORIS PASSIONES

RAnula quæ Græcis βάτραχος nuncupatur, tumor eſt cũ inflammatione ſub lingua: in pueris potiſsimũ erũpens. Pariſthmia latini tonſillas uocant, & faucium partẽ & eius inflammationem ſignificant. alio etiam nomine Antiades dicũtur. Βάτραχος. Antiades.

Vuea, ab uuæ ſimilitudine, Græcis σαφυλὴ, caruncula eſt quæ ad extremum oris dependens cernitur. Spaſmus cynicus, diſtenſio oris Cornel. Celſo interpretatur. Fit autem cũ muſculi, qui oris ipſius partes mouent, reſoluuntur. Aegineta caninam con- Spaſmus cynicus.

 uulſio-

Ancynogloſſon.

uulſionem appellat. Ancylogloſſon, affectio eſt in membranis linguæ, à prima interdum origine interdum poſtea, à cauſa quapiam externa. Balbi dicuntur qui pronunciandi literam uel ſillabam præmittunt, atq; tardi incipiunt explicare quæ proponunt. Græcis ψελλοὶ dicuntur. Trauli appellantur, qui literam quandam exprimere non poſſunt.

Balbi.

Trauli.

Aphthæ Vlcera ſunt in oris ſuperficie, nō admodum profunda: quæ nuper natis potiſsimum oriuntur: alias ſub candido colore, alias in rubore languescente, nonnunquam eo colore qualis in aduſtorum cruſtis uidetur, quod omnium periculoſiſsimum & maximè exitiale eſt. Angina quæ συνάγχη Græcis dicitur, Inflammatio eſt gutturi uel faucibus adhærens, à ſuffocando dicta. Eius differentias in com. Aphoriſ. 16. lib. 3. adduximus.

Angina.

THORACIS MORBI. CAP. XX.

Aſthma.

ASTHMA, affectio eſt, qua laborantes tanquam à citatiore curſu agitati, conflictantur. Eius triplex eſt differentia. Prima quando ſine febre crebra reſpiratione affliguntur, atque Aſthmatici, hoc eſt, anheloſi nuncupantur: Altera eorum eſt qui ſuffocari timentes, ad reſpirationem recto pectore toto nituntur, uocantur à Græcis. ὀρθοπνοικοὶ ab ὀρθόπνοια paſsione. Dyſpnæa

Diſſpnæa.

ſpiratio

ſpiratio eſt & animi difficultas, quæ maxime propter craſſos & uiſcidos humores, bronchia pulmonũ obſtruentes, accidit. quemadmodum Galenus lib. 7. catotop. indicauit. Pleuritis, membranæ coſtus ſuccinguntis eſt inflammatio. atq; uera cum fuerit ſemper comitem habet febrem: quæ ſymptoma eum ſit, curatione non æget, ſed cauſæ tantum ablatione. ſicuti nec in lethargo, Caro, ulceribus. Peripneumonia pulmonis dicitur inflammatio, cũ per ſe cum per accidens. Aemaptyſis ſanguinis eſt per ſputum excretio. Græci αἱμάπτυσιν & αἱμάπτοιν dicunt. Empyema, quod uomicam & purulentam excretionẽ appellant, in cauo ſpecu thoracis ſiue intra ſuccingentem coſtas membranam colligitur. Hoc uitio qui laborant ἐμπυϊκοὶ Latinis uerò purulenti & ſuppurati dicuntur. Phthiſis præter omnem corporis maciem & extenuationem, pulmonis etiam ulcera (quæ Græcis φθόη nuncupantur) ſignificat. Palmos affectio eſt quã latini cordis palpitationem ſeu tremorem appellant. Sparganoſis diſtenſio mamillarũ ob lactis redundantiam dicitur. Atque lactis ipſius in grumos conuerſio concretioq;, θρόμβωσις nuncupatur. Pleuritis. Peripneumonia. Empyema. Phthiſis. Palmos.

VENTRICVLI AFFECTIONES.

Cardialgia. Syncope.

CArdialgia Græcis & καρδιακὴ dicitur, nō quidē cordis, sed oris uētriculi est affectus. Syncope, est animi deliquium seu uirū lapsus, oris uentriculi uitio cōtingens. Anorexia, ciborū est auersio, quādo scilicet stomachus intemperatura laborat: uel ab exuperante copia aggrauatur. Latinis abolita appetentia.

Appetentia canina.

Appetentia canina quæ Græcis, κυνώδης ὄρεξις dicitur, affectio est abolitæ appetentiæ contraria. Fames ingens quæ Græcis βούλιμος nuncupatur, membrorū fit inanitione cū stomachi fastidio. & est insatiabilis qua affecti cibum non sentiunt, sed tabe corpus potius consumitur.

Citta.

Citta, affectus est, quo mulieres uitiosis humoribus refertæ, infestari solent: præsertim cum uentrem ferunt. Latini malaciam atque picam appellant, sumpto ab aue sæpius sic affecta nomine. In hac affectione mulieres absurda etiam desiderant, sicuti terram cimoliam, carbones extinctos, lateres, carnes crudas, & pleraq; alia.

Dyspepsia.

Dyspepsia concoctio deprauata est: quando scilicet in alienam qualitatem cibi permutantur.

Apepsia.

Apepsia, affectio est in qua non fit ciborum alteratio, sed secundum omnes qualitates, tales permanent cibi, quales absumpti fuerunt. Latini cruditatem nominant.

Bradipepsia.

Bradipepsia, tarda est concoctio, ut pote quando cibi in familiarem (sed longiori tempore) qualitatem, conuertuntur. Nausea, quæ ναυτία Græcis dicitur

cis dicitur ad uomendum est conatus. Singultus λυγμὸς Græcis uentriculi est motus, ac ueluti conuulsio, ab expultrice facultate, noxia expellere uolenti factus. Cholera, immodica est uentris perturbatio, supra infraq; erumpens. Hinc cholerici dicuntur, quibus multa bilis per interna supernaq; deijcitur. Cæliaca paßio, est in qua ob imbecillitatem uentriculi alimenta neque coquuntur neq; perferuntur, idq; ob uentriculi & intestinorum imbecillitatem. quemadmodum in com. Aphoris. ostendimus.

Singultus. Cholera. Aphoris. s. lib. vj.

INTESTINORVM MORBI. CAP. XXI.

DIARRHAEA, alui est profluuium, ex ciborum uitio uel concoctionis defectu. Excitatur enim quando uentriculus circa imas partes multitudine & acrimonia humoris afficitur. dummodo firmæ sint quæ circa stomachum partes habentur. Lienteria digestionis est ablatio: ut dum cibus non immutatur: sed statim permeat, irritato à re quapiam uentriculo. Dysenteria intestinorum est ulcus seu exulceratio. Tenesmus, est crebra & implacabilis ad deijciendum promptitudo, qua nihil præter exigua, cruenta, uel mucosa propellitur, idq; propter ulcera in recto intestino orta.

Lienteria. Dysenteria. Tenesmus.

Ileos, dolor est acerbißimus sublimiores intestino- Ileos.

rũ partes infestans. Sic enim Galenus lib.6 loc. affect. scriptum reliquit. Fit autẽ ab inflammatione uel obstructione seu retensione excrementorum exiccatorum. Vocatur etiam uoluulus & chordapsos, quæ affectio tenuibus intestinis grauissimas & læthales dolores infert. Lumbricorum tria sunt genera. Primi generis sunt rotundi seu teretes, et ij in gracilibus plerunq; intestinis consistunt, atq; superiorem uentrem subeunt, unde per os & nares præsertim à pueris nonnunquam reijciuntur. Alterius generis lati sunt et longi Græcis, κείριαι & ταινίαι dicti. Tertij ascarides nuncupantur, et ij breues sunt ac tenues, qui in extremo longaone potissimum reperiuntur.

Lumbricorum tria genera.

Hæmorrhoides uasorum ad sedem sunt sanguinis excretiones, aut potius uenæ quæ in extremo recti intestini ambitu sunt constitutæ, sicuti in Aphor. 12. lib.6. diximus. Ragades sunt rimæ in recti intestini musculo, qui Græcis σφιγκτὴρ dicitur. Sycosis ulcus est à fici similitudine dictus: Eius duo genera Celsus tradit. Primum durum est & rotundum. Alterum humidum & inæquale. Fit quidem utrumque in partibus quæ pilis teguntur. Latini mariscam & ficum appellant.

Hæmorrhoides.

Ragades.

IECORIS ET LIENIS AFfectiones. CAP. XXII.

Hepatici

HEPATICI dicuntur quos ob iocinoris imbecillitatem morbus infestat. Sic enim Galenus lib. 3. de sympt. caus. scriptum uoluit. Hepatici.

Cachexia malus corporis est habitus, in quo alimentum corrumpitur. Est autem quodammodo ad aquam intercutem dispositio, quod & Paul. Aegineta lib. tertio etiam annotauit. Cachexia. Icterus seu Icteritia morbus est quem Celsus, arquatum & regium appellat. Estq; bilis modo flauæ modo nigræ per uniuersum corpus effusio. unde & bilis suffusionem, latini appellarunt. Color hunc morbum detegit maxime qui oculis suffunditur, in quibus quod album esse debet, fit luteum & ubi diutius morbus adest, corpus totum cum pallore ueluti inficitur. Icterus. Hydrops, aquosus est & præter naturam tumor. Eius triplicem differentiam in nostris Aphorismorum comment. atque lib. de morbis curand. ostendimus. Hydrops.

RENVM ET VESICAE Paßiones. CAP. XXIII.

NEPHRITIS, renum est uniuersalis affectio. unde & nephritici dicuntur, quorum renes dolor afficit. Nephritis. Diabetes proprius renum est affectus, quem Græci etiam διψακον, id est, urinæ profluuium appellant. Eius causa est re-

num imbecillitas, non potentium diutius urinam continere. In hac affectione ægrotantes supra modum sitiunt, & exuperanter quod bibunt non mutata qualitate, per urinas deijciunt. Lithiasis, quæ renũ est & uesicæ calculus, seu ipsius generatio. cuius materiam in commento Aphoris. 26. lib. 3. ostendimus. Stranguria, urinæ est stillicidium, atque immoderata urinæ profusio. quemadmodum Galenus lib. 6 locorum affect. indicauit. Fitq; uel ob imbecillitatem uesicæ uel ob urinæ acrimoniam. Dysuria, affectus est stranguriæ contrarius. Est autem urinæ suppreßio citra expultricis facultatis oblæsionem.

Lithiasis. Stranguria. Dysuria.

GENITALIVM AFFECTIONES. CAP. XXIIII.

PHIMOSIS, uitium illud est quãdo colis glans ita est contecta, ut nudari non poßit. Huic affectioni contraria Paraphimosis. Satyriasis ut inquit Aegineta, genitalium est palpitatio, quæ aliquam seminalium uasorum inflammationem cum tensione imitatur, quæ quidem affectio, si in longum tempus protrahatur, genituræ conceptacula in languorem resolutionemq; aut conuulsionem præcipitat, extremumq; periculum infert. Satyriasmus & priapismus, pudendi sunt præter naturam erectiones, quæ non desistunt. sic enim Galenus lib. 2. Meth.

Satyriasis. Satyriasmus.

& in

& in lib.de tumorib.præter naturam definiuit.

Gonorrhæa, est seminis aßidua atq; inuoluntaria excretio. quæ fit cole haud quaquam extenso: ex imbecillitate retentricis potentiæ. Gonorrhæa. Hernia seu ramex Græcis κήλη nuncupatur fit primum quando peritonæo rupto intestina in scrotũ delabuntur. & tunc Enterocele dicitur, quod si omentum descenderit, Epiplocele: Si uero humor aliquis lentus in scroti parte defluxus fuerit Hydrocele nuncupabitur. At cum caro dura intra testium tunicas increscit Sarcocele is dicetur affectus. Hernia.

VTERI PATHEMATA. CAP. XXV.

VTERI præfocatio, quam Græci πνὶξ ὑστερικὴν uocant, est sui ipsius ad superiora conuersio seu recursus. Mola quæ μύλη Græcis est, congesta ac indurata caro in ipso utero existit. Mola.

Vteri præclusio, quam μύσιν ὑστέραν uocant, fit quando os uteri & in conceptionibus & dum phlegmone affectum est conniuet. Phimosis, orificij aut ceruicis uteri est coarctatio, ab inflammatione. Accidunt etiam uteri condylomata, rhagades, scyrrhi, thymi, procidentia, inflammationes & carcinomata. quorum nonnulla deinceps explicabimus.

ARTICV-

ARTICVLORVM AEGRItudines. CAP. XXVI.

Arthritis.

ARTHRITIS *articulorum est uicium, ex quo tũ Ischias tum podagra nascitur. Quod enim in omnibus articulis est arthritis, hoc in imo iuxta coxendicem ischias: iuxta pedem uero podagra. Communem habent hi tres affectus redundantiam humoris. quemadmodum* Galenus *lib.10. de comp. medicament. secund. loc. ostendit.* Nodus *callosa est & rotunda duraq; concreßio,* Iuxta *neruosa loca maxime apparens.*

DE TVMORIBVS PRAETER naturam. CAP. XXVII.

Clauus.

PARONIXIA, *abscessus et aspredines, circa radices unguium dicuntur.* Clauus, *quẽ* Græci ἧλον *appellant, tuberculum est rotundum & callosum, clauorum capitibus non absimile, in calcaneis & pedum plantis ex oppreßione quadam contingit.* Hac *affectione frequentius laborant qui longum iter facere coguntur.*

Pterygion.

Pterygion *in unguibus excrescentia quædam carnosa est, partem aliquam unguis ipsius seu mauum seu pedum fuerit, operiens.*

Carcinoma.

Carcinoma *tumor est præter naturam liuescens & inæqualis, qui quidem in qualibet corporis parte oriri potest. nunc citra ulcus, & hunc latentem* Hippocrates

pocrates uocauit: modo cum ulcere ex atra bile originem trahens. nascitur potißimum in superioribus corporis partibus circa faciem, nares, aures, labra, mammas fœminarum, quemadmodum Corn. Celsus indicauit. Lepra & psora, paßiones sunt summam cutem exasperantes, sed lepra profundius cutem exulcerat, & piscium instar, squammulas ex se remittit. Psora uerò summam corporis cutem uaria erosione figurat, furfureaq; magis quàm squamosa ex se corpuscula edit. Lichenes, quas latini impetigines uocant, ex mixto quopiam generantur humore: serosis nimium tenuibusq; & acribus succis cum craßioribus mixtis. Quapropter facile etiam in psorã & lepram transeunt. Est aliud etiam cutis uitium, quod Latinis Vitiligo nuncupatur. Eius duas esse differentias Leonhardus Fuchsius in sua methodo etiam indicauit. Vna quidem Græcis λεύκη dicitur, quæ coloris cuticulæ (sicuti etiam Paulus Aegineta prius indicauit,) est immutatio ex pituita pro ueniens, quam uitiliginem albam appellamus. Altera, ἀλφὸς Græcis dicitur, quæ non ita profunde cutim deturpat. Porrò alphi quidem albi sunt à pituitoso humore, ut iam diximus. Quidam uerò nigri, à Melancholico. Eodem modo & uitiligo quam Auicennas Morpheam appellat, alba & nigra

Lepra. Lichenes. Vitiligo. Alphi.

Exanthemata. nigra generatur. Exanthemata, papularum sunt, sicuti Plinius inquit, eruptiones ex densatis in cute humoribus. de quibus libro de curand. morb. sumus locuti.

Myrmecia Acrochordon. Myrmecia & Acrochordon utrumque uitium exigua quædam est in cute excrescentia, callosa, & magna ex parte rotunda. Illa quidem latiori basi sessiliq; est extuberatio: hæc uero excrescentia exigua in summa cute indolens, callosa, in orbem magna ex parte circinata, basi angusta, quasi suspensa uideatur, quam latini uerrucam nominant.

Ganglion. Ganglion neruorum est concutio, ex percussu uel labore. In his præsertim corporis partibus prouenientis, quæ uoluntariæ mouentur.

Phlegmon. Phlegmon tumor est dolens, durus & calidus: qui partes carnosas maximè occupat.

Apostema. Apostema, abscessum & dispositionem Galenus esse dicit, in quo abscedunt atq; inuicem distant, quæ prius se contingebant corpora. Est interea duplex abscessuum genus. Vnum quando inflammatio in pus uersa, pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectum: Alterum cum nulla præcedente inflammatione humor aliquis aut spiritus uaporosus aut substantia ex utrisq; mixta, in parte aliqua statim ab initio colligitur.

Aposcemina. Aposcemma, est humorum qui prius unum aliquod membrum infestant eo relicto ad alterum, transmutatio.

Steatema. Steatoma tumor est præter naturam tactu lenis & colore non uarius, in

quo

quo ueluti pingue quiddam subest. Atheroma, itidem abscessus est specie & figura oblongus, in quo nonnihil pulti simile Galenus lib. de tumoribus præter nat. & 14. Meth. contineri dicit. Meliceris tumor etiam est rotundus & doloris expers, humorem melli similem habens. Gangrena, affectus est qui ob inflammationis magnitudinem pars affecta emoritur, sed ubi exactè sensu locus carere cœperit, non amplius morbus ille Gangrenam, uerum syderationem & Græci σφάκελον nominant. Atq; amputationem ocyßimè requirit. Herpes affectio est ex flaua bile, nullo alio humore confusa, in aliqua corporis parte consistens. quæ si essentia sua craßior & acrior fuerit, cutem ad subiectam usq; carnem exulcerat, appellaturq; ἕρπης ἐσθιόμενος, id est herpes exedens. Quod si tenuis & minus acris calidaq; bilis illa fuerit, exiguas pustulas in summa cutis superficie, millij seminibus persimiles, excitabit. Et ex hac similitudine Græcis κεγχρίας, id est miliaris herpes, nuncupata est. Erysipelas affectio est ex biliosa fluxione exuperante, sicuti ex sanguine & flaua bile calidioribus quàm oporteat. Porro erysipelas interdum cum exulceratione, interdum sine hac accidere, tum in commentarijs nostris super Hippocratis aphorismos, tum in libro quem de curandis morbis præmisimus ostensum fuit. Bubo, inflammatio

Atheroma. Meliceris. Gangrena. Herpes. Erysipelas. Bubo.

est, quæ in glandulis coli, inguinum, aliarumq; corporis partium adenosarum extuberat, uenenatā interdum ac pestiferam qualitatem præ se ferens.

Phima, glandularum quoq; est inflammatio, quæ breui tempore augetur, celeriterq; ad suppurationem properat. Phygethlon, caliditate simulac generationis celeritate. ab alijs tuberculis distinguitur. atq; tumor est non auctus quidem, ut Celsus testatur, sed latus. qui affectus glandulosarū partiū est inflammatio. atq; ubi partes ob inflammationē ad scirrhum deuenerint, is affectus struma & chæras uocabitur. Cæterum Phigethlon Erysipelas, particeps inflammationis aut inflammatio Erysipelatis particeps nominatur, quemadmodum Gale. lib. 2. ad Glauconem manifestum fecit. Dothien, quem & furunculū appellant, tumor est abscessionis formam præ se ferens, ex crassis humoribus in carnosis plerumq; locis prouenens. In sola cute tolerabilis, malignus uerò & curatu difficilis, cum altius radicibus actis, prorumpit.

Phygethlon.

Dothien.

Terminthus, phymatis species ex Oribasio creditur, Est autem papula nigricans tibijs obueniens. Sic dicta quod Terebinthi fructus figura & magnitudine repræsentet. Oedema tumor est absq; dolore laxus, ex pituitosi humoris confluxu. Emphysema, abscessus est seu tumor uaporosus sub cute, mēbranis: nonnunquam in uentre, aliquando in intestinis, interdū etiam in horum & pæritonei medio colligitur. Auicenna,

Oedema.

apoſthema uentoſum nominauit, Paulus Aegineta hunc affectũ Ciliorũ incrementũ eſſe dicit. Scirrhus, tumor eſt durus, abſq; dolore, nõ tamẽ omnino abſq; ſenſu, ſicuti Gale lib. 14. Meth. teſtatur. Chœrades, quas latini ſtrumas appellant, fiunt glandulis in [illegible] rhoſum affectum mutatis, Earum naturam duplicẽ fuiſſe, ubi de morborũ curandorũ methodo ſumus locuti, tractauimus. Thymius, ut inquit Celſus, ſuper corpus quaſi uerruca eminet & ſuum colorem flore Thymi ſimilẽ habet. Hic affectus ad cutem tenuis eſt: ſupra latior & ſubdurus. In ſumma uerò perasperũ. Scirrhus. Chærades.

Circoſele, uaricoſus eſt ramex, ſicuti ſarcocele carnoſus. Eſt etiam κιρσὸς *Græcis uenarũ ſiue in cruribus ſiue alia in corporis parte tumefactio ac diſtenſio, ob ſanguinis craſſi redundantiam, ſicuti Gale. lib. de Tumoribus præter naturã indicauit. Thlaſma, cõtuſio colliſioue eſt, in uaſis muſculisq; ex uiolento ictu, uel alio quopiã ualente motu excitata. Echymoſis ſanguinis eſt ſubter cutẽ effuſio, quæ ut plurimũ una cũ cõtuſione ruptioneue incidit. Aneuriſma, tumor eſt ob arteriã præcluſam ex ſanguine [illegible] ſpiritu, cauſam trahens. Anthrax, quẽ Latini [illegible] lum appellant, ex ſanguine fit craſſo et [illegible] in aliquã corporis partẽ decumbente. Epinyctis peſſima puſtula eſt, ut inquit Celſus in eminẽtibus ferè corporis partibus ortũ habens. Sic dicta quod nocte potiſſimũ* Thlaſma. Anthrax.

enaſci ſolent. colore uel ſubliuido, uel ſubnigro uel albo eſſe cõſueuit. Atq; ex ea dolor & inflãmatio (tametſi fabæ magnitudinem non excedat) uehementius torquent quàm pro ulceris magnitudine debuerint & dum aperitur apparet intus mucoſa quædam exulceratio, uel ut Aegineta teſtatur, cruenta ſanies. Epinyctides inquit, ulcuſcula ſunt ſponte ſua naſcentia, facie puſtularum, colore rubro: quibus diſcußis cruenta ſanies defluit. Phlyctænæ paruæ ſunt puſtulæ ex ſeroſis excrementis genitæ, nec dißimiles illis, quas aqua feruens aliqua in corporis parte ſolet excitare. Chimetla, ulceroſæ ſunt affectiones ex frigore hyemali, quæ in puerorum manibus pedibusq;, ut plurimum, eueniunt. hinc tumores illi quos perniones uocamus, in poſtrema calcaneorum parte oriri atq; extuberare ſolent. Apoſyrma, auulſio ſeu detractatio dicitur, quando ſcilicet uiolento rei cuiuſdam occurſu, aliquid è corpore eximitur.

Phyctænæ.

Nome, ulcus eſt quod ab ægris particulis, ad eas quæ integræ & ſanæ ſunt, ſuapte malitia ſerpat.

Nome.

Phagedena, ulcus malignum eſt, ex humorum craßitiæ, quod unà cum cute partes adiacẽtes ac ſubiectas exedit. Chiroma, ulcera ſunt inueterata, quæ ad cicatricem difficillime perueniunt. Telephia, ulcera magna & calloſa ſunt, quæ in pedibus ac cruribus emergunt. Cacoëthe, ulcus eſt in uniuerſum, egerrimè

Chironia.

Cacoethæ.

egerrimè ad cicatricem perueniens. Theriode, ulcera sunt aspera & ferina. Colpos, cutis ulceribus adiacentis multa est separatio, unde agglutinari non potest. Latinis sinus dicitur. Therioma, ulcus est quod per se, ut inquit Celsus, nascitur. interdũ etiam ulcere ex alia causa facto, superuenit. color est liuidus uel niger odor fœtidus & multus, humor similis est muco. Cæterum nec tactu neque medicamentum sentit, sed prurigine tantum mouetur, & ex eo nonnunquam sanguis erumpit. Syrinx, latinis fistula dicitur, & est sinus callosus ex absceßibus plerunque proficiscens. sumpta per translationem ab hirundinum fistularum appellatione. Hyponoma & paratrimata pedum sunt ulcera longo itinere acquisita. Hactenus de medicæ artis partib. quæ res naturales, non naturales & præter naturam continent.

Colpos.

Syrinx.

Hyponoma & paratrimata.

MEDICAE ARTIS THEORICAE Liber secundus.

IN QVO DE SEMIOtice.

Blasio Hollerio, Viuarirensi: Doctore Medico, Authore.

CAP. I.



NVNC ILLAM MEDICAE *artis partem prosequemur, quæ ualetudinis utriusque signa indicat. Græci σημειωτικὴν appellarunt. Hæc itidem præteritorũ cognitionem, præsentium inspectionem, & futurorum prædictionem comprehendit. Horum omnium signa ex urinis, sudore, egestionibus, sputis, uomitu, pulsibus sumenda: præsertim dum per Crisim excernuntur.*

Crisis.


Est autem Crisis, quæ Latinis iudicium dicitur: subita ac repentina in morbis potissimum acutis mutatio. Hanc subitam mutationem perturbationemq; excretiones quædam subsequuntur. ueluti sudores, sanguinis

ſanguinis è naribus uel alijs partibus fluxiones, alui & urinarum profluuia, uomitiones. quemadmodum in noſtris comm. Aporiſmorum demonſtrauimus. Conſueuerunt etiam quædam præcedere indicia, die quodam indicatorio, quibus Criſis futura cognoſcitur: ueluti dum ægrotans difficulter trahit ſpiritum, delirat, caliginem uel ſplendorem ſibi ob oculos uerſari putat, uel lachrymatur, aut rubent oculi, uel tempora ſeu totum caput aut ceruix dolore afficitur, aut rigor adeſt, uel dolet ſtomachus, inferiusq́; labrum tremit. Cæterum ſi Criſis abſoluta fuerit, nihil in morbo facit reliquij, ſed ſubito ægrotantem à morbo liberat: ſi uerò imperfecta Criſis ſeu deficiens habeatur, ex morbo quippiam relinquit, licet in melius mutationem efficiat. Verum de his iuxta Hippocratem & Galenum, alibi ſufficienter tractauimus. Interea quænam bona quænamúe mala Criſis cenſeatur ac fiat, tabella ſequens indicabit:

Aphor. xxiiij. lib. ij.

Criſis futuræ indicia.

P 4 Criſis



- Crisis
  - Præsens
    - Bona, si
      - Vires, præcipuæ naturales, robustæ sint.
      - Præcesserint concoctionis indicia.
      - In statu aut uigore morbi fiant.
      - Dies contemplabilis eam indicarit.
      - Dies sua natura fœliciter indicante per partem cōuenientem affectui & naturæ humori. morbum excitantis fiat.
      - Vacuentur ea quæ morbū excitasse suspicabamur.
      - Bona tolerantia adsit.
      - Morbus non sit omnino malignus.
    - Mala, si
      - His omnia contraria appareant.
  - Futura
    - Citò, si
      - Celeriter moueatur morbus.
      - Concoctionis signa mox appareant.
      - Symptomata grauiß. statim adsint.
      - Subita præter rationem permutatio, inquietudo & insultus.
      - Nox aut dies præcesserit grauis.
      - Rigor corpus uniuersum exagitet.
      - Acceßio anticipet præter consuetudinem.
      - Summa frigidæ cupiditas / inæqualis pulsus. } adsit.
      - Morbi qui populariter grassantur cito desinant.

Tarde,

- **Tarde, ſi**
  - Contraria his omnia deprehendantur, ex morbi & ægrotantis natura, concoctionibus, acceſsionũ circuitibus, morbi ſpecie, magnitudine, more.
- **Futura**
  - **Per excretionem inſignẽ, ſi**
    - Aeger iuuenis & robuſtus ſit.
    - Morbus acutus & calidus.
    - Criſis futura cito iudicetur.
    - Signa alicuius excretionis propria adſint.
    - Nulla ſigna abſceſſus.
    - Pulſus uehemens & altus adfuerit.
  - **Per abſceſſum, ſi**
    - Aeger non ſenex, ſed infra annos 30 aut 35. atq; tum per hemorrhogiam quoq; Criſis adeſſe ſolet, Supra uerò iam dictum tempus, frequentius per uomitiones, alui deiectiones, urinarum profluuia, ſudores.
    - Morbus chronicus, cũ uirium robore.
    - Acutus morbus cum uirium imbecillitate.
    - Vrinæ tenues & crudæ longo tempore perſeuerarint.
    - Signa futuræ Criſis, in comment. Aphor. compendioſè etiam diximus.

Qualia autem et quanta futura ſint morborum tempora indicabunt

- *Morbi natura ex*
  - *Temperamento ægrotantis naturali uel acquiſititio:*
  - *Habitu gracili, carnoſo & craſſo.*
  - *Sexu.*
  - *Aetate*
  - *Viuendi ratione*
  - *Regione*
  - *Anni parte*
  - *Morbo populariter graſſante.*
- *Morborum ſigna & tempora præſentia, ut*
  - *Si morbus plurimum moueatur ac premat, acutus erit.*
  - *Si parum & lentè procedat, chronicus.*

Hæc ex humorum abundantia e[illegible] conſideranda. nam morbus qui ſua natura uel humoris [illegible]tate uel quantitate affligit, ſi celeriter moueatur acutus eſt, breuiaq́; erunt ipſius tempora: ſi uerò lentè ac tarde moueatur, chronicus. unde & tempora longiora erunt.

Artificioſam coniecturam præcognoſcendi morborum

borum tempora univerſalia & ipſorum ſigna Gal. lib.1. de Criſibus indicat. Verum calamitas huius ſeculi nos præcognoſcere futura certa demonſtratione nõ patitur. quare non niſi ex ſignis apparentibus poſſumus tuto iudicare. Vt in febribus, ſi principium cito præterierit aliaq́; tempora uſq; ad declinationem uehementia fuerint, acutus erit morbus: contrà uerò chronicus ſeu diuturnus. Et ut morbi acuti ut plurimum materiam habent calidam et ſubtilem: ita Chronici ac longi ferè ſemper frigidam & craſſam, quæ difficilius ſoluitur. Idcirco in morbis ſemper cognoſcenda ipſorũ cauſa tum ſimplex tum compoſita: deinde tempora 4 ſequenti ſchemate comprehenſa.

EX SEQVENTIBVS ITAQVE *tabellis dierum indicum, decretoriorum, atq; hebdomadum, nec non temporum atq; ſignorum differentias cognoſcemus.*

	Indices.	Decretorij.	Indices.	Decret.	Indices.	Decret.
Dies	4	7	11	14	17	20
	24	27	31	34	37	40
	44	47	51	54	57	60
	64	67	71	74	77	80
	84	87	91	94	97	100.

Hebdomadæ

Hebdomadæ tres dieb. 20. constitutæ.

Prima.		Secunda.		Tertia.	
IIII.	III.	IIII.	III.	III.	III.

- Morborum tempora
  - Vniuersalia.
    - Principium idq; tripliciter
      - Exquisite initium morbi, est insultus primus seu inuasio.
      - Principij in morbis augmentũ, ad tertium usq; diem extenditur.
      - Totius principij finis, signo concoctionis definitus.
    - Augmentum, quod incrementum, et ascensus dicitur, statim principium excipit, & ad uigorem usq; extenditur.
    - Status seu uigor, uehementißima morbi pars est, ex coctionum signis cognita.
    - Declinatio, statim post uigorem sequitur: ubi affectus est mitior multò.
  - Particularia.
    - Singularum sunt accessionum, à prima morbi inuasione, usq; ad intermißionem distinctiones in
      - Principiũ accessionis febrilis, quando scilicet extremæ partes incipiunt frigefieri.
      - Incrementũ, ubi frigus desint. et incalescit corpus, nõ tamen exquisito calore.
      - Vigorẽ ubi calor æqualiter in totum corpus diffunditur.
      - Declinationẽ, quando imminuitur calor, remißiorq; fit.

Signa morborum, alia

Speciem morbi indicant, Græci παθογνωμονικὰ appellant. quæ simul cum morbo oriuntur ac desinunt. ut in pleuritide febris, spirandi difficultas, tussis, lateris dolor punctorius, atque interdum pulsus serratilis.

Necessario non adsunt, sed morbos interdum comitantur ἐπιφαινόμενα dicta, quæ unà cum morbo minimè oriuntur, sed proprias ipsius differentias constituunt. ut in pleuritide sputum cruentū, dolor ad clauiculam uel diaphragmatis partes: facilius in latus affectum ferre decubitum, somniorum spectra, uigiliæ, delirium: & huiusmodi signa, quæ morbi mansuetudinem uel è contrario monstrant.

Decretoria quæ Græcis κριτικὰ dicuntur, in augmento potißimum apparent: idq; euidenti quadam euacuatione per sudores, hæmorrhogias, alui seu uesicæ deiectiones, uomitus copiosos, aut absceßus quosdam manifestos, aliqua in corporis parte.

Coctionis signa πέπσις nuncupata, quæ nunquam primo morbi initio conspiciuntur, sed principij finem ostendunt.

Cruditatis signa ὠμάτα, Græcis appellata, primo statim morbi initio occurrunt, & interdum postea. sicuti in comment. Aphorismi Hippocratis 12. lib. 1. ostendimus.

Porro

Porro coctionis & cruditatis signa, uel sumuntur ex alui recrementis, quæ inferioris uentris sunt concoctionis uel cruditatis indicia: uel urinis, quæ uenosi generis concoctionem aut cruditatem indicant: uel sputis & excreationibus, quæ instrumentorum respirationi seruientium coctionem uel cruditatem ostendunt. Hæc tria salutis aut mortis signa etiam existunt. quibus additur spiratio facilis uel difficilis, pulsus bonus uel malus, faciei sanis uel desperatè ægrotantibus similima: decubitus, sudor, & id genus tum bona tum mala signa, ut in præsagijs Hippocrates docet.

DE VRINIS. CAP. II.

VRINA *est humidorum, in corpore existentium, colatura: quæ per uenam cauam & urinarios meatus, in uesicam delabitur. In cuius inspectione quatuor sunt consideranda: utpote color, consistentia, quantitas, & contenta. Vrina porrò alteratur & conficitur in uentriculo, perficitur in hepate, segregatur in uenis. & sic est recrementum primæ concoctionis. atque affectiones uenosi generis, renum, & uesicæ magis indicat: Minus uerò quæ in habitu corporis sunt: thorace, capite, & huiusmodi partibus, quæ extra uenas sunt. Interea*

hominis

hominis temperati ac secundum naturam se haben=
tis urinæ, priusquam ægrotantis, cognoscendæ. quæ
subflauæ uel subruffæ esse debent. reliqua etiam quæ
insunt, ad urinā hominis non malè affecti referantur.

Primo igitur color in urinis contēplandus. qui ua= Vrinæ color.
rius est, quemadmodum uel inprimis albus: sub quo
crystallinus, niueus, & aqueus pro intensa albedine
purus, & summæ cruditatis ex frigido uel obstru=
ctione uel bile, quæ uergit ad alias corporis partes,
sunt inditia: deinde à summa albedine remissius color, Vrinæ lacteæ.
lacteas urinas reddit, ita dictæ quod lacti similes exi=
stant. sunt tamen meliores aqueis & crystallinis. Po=
stea glaucus color ueluti cornu pellucidus est: dein=
ceps charopus color sub albidis cameli pilis uel un=
gui lapillo non absimilis. Et hi duo colores remissæ
albedinis apparent, ob rubeæ bilis transpirationem
alio quodam loco retentæ: uel potius ob debilita=
tem uirtutis alterantis & concoquentis humores.
atque ex illa coloris affinitate urina glauca, ex hac Glauca.
uero charopa dicitur. Cæterum urina alba in ijs Charopa.
qui secundum naturam se habent, multam uini præ=
sertim exilis assumptionem indicat, atque huius iu= Vrina.
dicij fidem facit, ipsa urinæ multa deiectio. alias ue=
rò urinæ quantitas moderata & mediocris atque
ex proportione hypostasim habens, frigidam he=

patis intemperaturam ostendit. Ad hæc urina multum alba, hypostasim ualde obscuram & occultam habens, senectutem secundum naturam uel à morbo demonstrat: alias uerò si densam & crudam hypostasim contineret, hydropisim, præsertim anasarcam, indicaret. ut etiam paulo post dicetur.

Vrina alba & tenuis.

Alba & tenuis urina, interiorum membrorum & renum opilationem indicabit: sed in acutis febribus urina alba humorem qui eam tingebat, alio transmissum indicio est. In summa urinæ albæ fiunt aut à craßitudine et multitudine crudorum humorum, aut ab opilatione meatuum, aut potus magnitudine, cruditate, auersione humoris tingentis, frigiditate. interdum ab ægritudine, quando scilicet ualde albescentes cum tenui substantia exeunt. At uero quæ cum ægritudine excernuntur, minus albæ prædictis sunt, multum tamen humorem crudum uigere in corporibus prænunciant: & quo magis albæ urinæ color intenditur, eò peior existimandus, ratione ad sanitatem habita. Interea si matutino tempore urina fuerit candida, deinde ruffa excernatur, illo modo concoquere, hoc concoxisse iudicandum. atque postquam urina tincturam aliquam acceperit, à summè crudis secedere intelligimus. Primum quidem à iam dictis urinis subspiceæ, deinde spiceæ: uel ut alij loquuntur palidæ & subpalidæ subsequuntur. illæ quidem mediocriter coctæ,

Vrinæ albæ unde fiant.

Vrina ruffa.

Vrina subspicea.

ter coctæ, Sed ſpicea urina maiore colore intenditur, fitq; ſub aurea: quam mediocrem & temperatam eſſe dicimus. inde aurea, quæ fulua dicitur, & ad puri auri colorem magis accedit. Subcrocea poſt ipſas ſuccedit, quæ colore ſimilis eſt carthami floribus. Et crocea (quæ à bile ſufficienter cocta tincturam accipit) flores croci coricei repræſentat. Intelligendum tamen cum flores ipſi aqua fuerint macerati: alioqui ſubrubei & rubei inſpiciuntur. ueruntamen ſi urina hæc intenſionem acceperit, tum apparebit rubea, cærulea, uiridis & ſubnigra: ueluti è diuerſo ſubcroceus color, (ubi calor non adeſt) ſuccedit fitq; ſubaureus, ſpiceus, & ſubſpiceus. Porro urina quæ ſubſpicea et ſpicea apparet, maiorem concoctionem quam quæ ſuperius memoratæ ſunt, indicat. Videtur tamē cruda collatione ad mediocrem urinam habita, et cò magis à ſanis diſtat, quo maiori albedine cernitur, minusq; fuerit cocta urinæ ſubſtantia ueluti & contenta. Colores urinarum ſubaurei & ſubcrocei perfectæ concoctionis ſignum præ ſe ferunt, & quibus placida ac mitis eſt natura, ijs potius urina ſubaurea eſt: qui uero rubea bili ſecundum naturā affecti ſunt, ijs apparet ſubcrocea. Aurea & crocea urina ultra prædictas intenſionē caliditatis præter naturam oſtendunt, quæ ſub tenues ſeu mediocris craßitiei ſi fuerint, hypoſtaſim perpaucam, obſcuram, aut nullam

Vrina ſubcrocea.

Vrinarum colores ſub aurei & ſubcrocei.

Vrina aurea Crocea.

lam habere uidentur. Veruntamen aurea intensum calorē potius, ueluti ob multorū ciborum acrium, uel medicinarum acutarū, aut sanguinis feruorem ab ira. Item ob intemperiem calidam in uisceribus, et affectū temporis cōstitutioni similem: Contrà uerò crocea: ut quæ per materiæ defectū potius fiat. uidelicet ob mœrorem, curam, uigilias, solis æstum, et id genus. Ab his sequuntur urinæ subrubeæ & rubeæ, ex bilis & sanguinis mixtione, quæ quidem aquam carthami & croci floribus maceratis intinctam referūt: uel subrubeæ: quæ cum armenico bolo et lemnio sigillo similitudinē habent: rubeæ uero pomis puniceis rubeumúe colorē præ se ferentibus, colore sunt similes. Subrubea urina frequentius crassa apparet, interdū etiam tenuis: illa melior, ut quæ uacuationē expostulet: altera uerò concoctionem seu præparationem, antequam corpus euacuetur, faciendam indicat. Et quibus uehemētior febris solet accendi, ijs serosa quædā sanguinis superfluitas in urina apparet. et quo febris uehementior eò magis color intenditur. sicuti et alij colores ex intensione aliorum affectuum. Vrina uinea iam dictis succedit, à uino nigriore ueluti colore hepatis, sic dicta. fitq; ex sanguine calefacto & adassato, siue ex motu continuo alioúe quodā excessu. atq; uineus color usq; adeo in peius sese prodit, quantū à subrubeo discessit rubeus. illo nanque modo adassatur bonus humor, transitq;

Vrina subrubea.

Vrina uinea.

transitq; uel ad rubeam uel ad nigram bilem, quorum passiones cæteris peiores existunt. Passea urina ea dicitur, cuius color magis quam in uinea est intensus, maximeq; similis passo, quod ex uua nigra decocta, uel musto ad tertias cocto, conficitur. Talis namque passeus color humorem biliosum aduri, ueluti uineus sanguinem indicat. atq; dum urina passea permanens est, arquatũ morbum adesse demonstrat. Nigros colores omnes cognouerũt, ut qui euidentes sint in extincto carbone, succino, pice, & atramento. Nigra igitur urina interdum caliditatis ad extremum perductæ est index, præsertim si uiridis aut aliqua ei proxima præcesserit: nonnunquam extremam frigiditatem significat, quando scilicet liuida aut ueneta prius apparuerit, & utraq; perniciosa: tametsi in passionibus, quæ originem ab humore nigro traxerunt, urina nigra apparente, salutem futuram indicat: sicuti in quartana febre, & alijs melancholicis morbis ac diuturnioribus. sed in ijs qui febre acuta laborant, urina huiusmodi nigra semper mala atque mortis nuncia fuit. Venetus qui & cæruleus color est ex puro albo & nigro æquali portione confusis gignitur. qui quidem in urinis quando subtenuis apparet, per superficiem fusi melancholici humoris generati ostendit. Si uero uersus crassitiem uergat, tunc ob multam frigiditatem

Vrina passea.

Vrina nigra.

Vrinæ color uenetus siue ceruleus.

fieri iudicamus. & nisi præcesserit concoctionis signum, sed à malo ad peiore, fiat transmutatio, uirtutis mortificationem indicat. Viridis urinæ color, braßicæ, graminis, uiolæ herbæ, aut smaragdi lapilli, colorem refert. fitq; ob excessum peßimæ bilis exaustæ, quantitate & qualitate: atq; ad bilis atræ naturam iam redactæ, unde tam mala est, quam longo tempore fortunaq; secunda atq; uirtutis constantia indiget, ut ad bonam reducatur. Ostendit enim humorem biliosum eò usq; super reliquos exceßisse, quantum is color à cæterorum coloribus dissensit, suapte natura ad malignitatem procedendo. Et quò magis assatus fuerit humor, eò magis color ad nigredinem intensus apparebit. Oleaceus in urinis color tripliciter distinguitur, primo euidentem olei colorem obtinet, & tunc urina communi nomine oleicolora dicitur, quæ in principio nondum exacte eo colore urina huiusmodi tincta apparet. Altero modo tenuiorem coloris tingentis oleaginosum humorē urina poßidet, quæ expectatur in augmento morborum colliquantium. Tertio, oleaginosa urina olei coloris ris similis est, et generis appellatione oleacea dicitur, quæ paßionem esse in summo ostendit, utpote cum exacte pingue iam sit colliquatū. Hæ urinæ interdum liquefactæ pinguedinis corporis uniuersi, interdum renum duntaxat indicia sunt. Si igitur paulatim eiusmodi

Vrina uiridis.

Vrina oleaca triplex.

modi color processerit, ita ut multo tempore confirmetur, signum erit febrem per totum corpus esse diffusam, si uero breui atq; cumulatim appareat, passio renum tantummodo demonstratur adesse, quibus quoq; fidem faciet uehementia præsentis caliditatis, quæ tunc in renibus solis excitatur: illo nanq; modo in corpore uniuerso ardor sentitur. Interea urina oleacea mortem ueluti nigram minatur. sicuti Actuarius lib. 2. de causis urinarum scriptum reliquit. Liuidus color plumbeus est aut plumbi similis: uersus nigrum eatenus inclinans, quatenus à colore ueneto recesserit, ueluti si nigra quædam ad alba in pari mixtione se habeant, ut pix & cerusa æquali, ut dixi, portione, inde liuidus color exacte apparebit, qui & uenetus (de quo iam diximus) appellatur, quiquidem sub cæruleo continetur: & hic proprie color est Cœli sereni. Sed quoniam cærulei quædam species est penè nigra, ob id liuidum & cæruleum colorem eundem esse quidam dixerunt. sed liuidus color uenetum & cæruleum superat. atq; urina liuida ob plagas & uerbera frequentius apparet, ostenditq; magnam sanguinis mortificationem. Sanguis enim mortificatus subnigrescere consueuit. Porro urina liuida et ueneta ob caliditatem non fiunt, sed interdum ob frigiditatem, & interdum ob nigrum humorem, ut dictum est. Hæc de urinarum coloribus. Nunc de consistentia

Vrinæ color Liuidus, seu uenetus.

Vrinarum consistentia triplex.

ipsarum dicamus. Vrinarum igitur substantia seu consistentia triplex est, tenuis, crassa, mediocris.

Tenues urinæ obstructiones demonstrant, & caliditatem genuinam decidisse ab eo quod conuenit: aut quia superata est ab aliqua potente frigiditate: aut quia extranea & corruptrix caliditas occasione aliqua præcedens ipsam caliditatem genuinam & naturalem occupat, ita ut hæc obscura fiat, atq; ab actione propria prohibeatur. Huiusmodi urinæ magnam uirtutis debilitatem arguunt, & eò magis quo cum coloribus malignioribus inspectantur. Calidum enim innatum languescere significat. Neq; refert siue innatum calorem siue genuinum & naturalem, siue à natura insitum dixerimus.

Vrinæ ex intemperie.

Et qui ob nudam quamcunque intemperaturam ægrotant, urinæ perquam tenues apparent: minus uerò tenues natura oppugnante: sicuti mediocres, cum dominata fuerit. Tenuißimæ uero extremam quandam debilitatem naturæ atque cruditatem arguunt, ob defectum caloris genuini.

Vrina crassa.

Crassa urina pugnam quandam naturæ indicat, atque certamen ueluti mentis, ut dominetur materiæ: & iamiam fortasse dominantis, nisi apparuerint in urina substantiæ uehementer crassæ. Crassescunt etiam temporis progressu urinæ, ægritudinum initio utpote ob aliquam materiam plus iusto auctam tenues excernebantur.

bantur. Interdum etiam ab initio crassæ inspiciuntur. Porro urinæ crassæ signa semper fuerunt humores quicunque aliquo modo uentrem superiorem & inferiorem, atque hepatis partes suas implent. Mediocrem in substantia urinam genuina caliditas in cibo & potu assumptis, atque humoribus internis prædominans ut decet, ad concoctiones efficit. Si uerò acciderit aberrare, cruditas aderit. Nunc de quantitate ipsarum urinarum quæ multa uel pauca uel mediocris esse dicitur: excessu uerò plurima uel pauciora. illa quidem copiosis humida qualitate cibis profluit, copiosa quoque uini præsertim albi, aquosi & exilis: medicamentis etiam diureticis: similiter & intemperie circa renes calida: ut in diabete, in qua sitis supra modum urget, idq; ob immodicum calorem consumentem: & retentricis renum potentiæ imbecillitatem. Talis quidem urina alba & tenuis est, atque hypostasi priuata. In hydrope, præsertim anasarca, urina multa & aquea est, crudam diuersámque hypostasim continens. Quinetiam multa urina spectatur in ijs, qui pauca excernunt, ob naturalem quandam uentris siccitatem & caloris mediocritatem: sed et maiorem & crassiorem hypostasim habet.

Vrina crassa.

Vrinæ quantitas.

Vrina in hydrope.

Copiosa quoque urina in febrientibus per Crisim nonnunquam excernitur. Rursus urina proportione minor quam mediocris effluens, per horum contraria euenit. nam dieta siccior paucam urinam gignit, sed subcroceam, atque hypostasim minorem sed craßiorem quodammodo quam mediocris poßidet. Item humores, alimenta, pharmaca glutinosa & obstruentia, paucam urinam generant, eo quod exitus opportunos arctent. hypostasin etiam paucam et tenuem habēt. Prætererea urina minor proportione exit, cum multa fuerit uentris euacuatio, eò quod superfluitatis multitudo per illas partes fluxerit, & ad tenuitatem declinat, tenuem quoque & per obscuram ac minimè lenem cōtinet hypostasim. quales etiam urinæ in senectute spectantur, ueluti etiam in sequentibus dicetur. Pauca etiam urina producitur ex uehementer febrientibus. nam calor qui febris quantitatem indicat, corporis humiditatem depascitur. Nec multa quoque urina ab exercitijs uehementibus, quæ corpus exiccare consueuerunt: nec cum aliquis uasorum urinalium affectus est, ac dolore afficitur.

Vrina proportione minor.

Hactenus de urinarum coloribus, consistentia, quantitate compendiose, loquuti sumus: nunc de ipsarum contentis eadem uia & ratione dicamus.

Vrinarum contenta.

Contenta urinarum tria prima & præcipua habētur quæ Græcis nominibus ὑπόστασις, ἐναιώρημα

ρημα & νεφέλη nuncupata ſunt. quæ quidem in urinis eorum qui ſecundum naturam ſe habent, colorem, ſubſtantiam, qualitatem, & locum cuiq; ſibi conuenientem, ut retineant neceſſe eſt: reliquis etiam quæ requiruntur decenter obſeruatis. Hypoſtaſis quidem in matulæ fundo, deinde in ſuperficie, tum demum in utriuſque extremitatis medio conſpicitur. Et cum in matulæ parte inferiori ſubſidet ὑπόστασις, ut iam dictum eſt nuncupatur: Latini ſubiecta & ſubcidentia: quæ ſi tertium ſiue ſupremum locum obtineant, capitis dolorem non mediocrem adeſſe ſignificabũt: alterum contentorum in medio totius altitudinis ipſius urinæ conſiſtit & tunc, ἐναιώρημα dicitur. Latini ſublationes et ſublimia uocant: ſic quæ ab utriſq; extremis ſeceſſerunt ſiue inferius ſiue ſuperius quam medium, ſublimia, ſed parum proprie nonnulli uocarunt. nam quæ medium locum obtinent exactam rationẽ ſublimitatis ſunt adepta. Tertium in ſumma urinæ ſuperficie uel paulo citerius natat, νεφέλη Græcis, Latinis uerò nubes & nebula metaphorice. Interea non aliter in contentis quam in liquore tria erunt conſideranda, utpote ſubſtantia, color, & quantitas. Subſtantia aut erit tenuis aut craſſa aut mediocris, atq; urinarum contenta, quæ ſecundum naturam ſunt, mediocris conſiſtentiæ erunt, alba, leuia & æquabilia Sunt autẽ leuia quæ continua

Tria in contentis conſideranda.

ſibi ſunt, & tanquam unum coactum corpus, nullo modo huc aut illuc compulſum ſeu aliqua ex parte diſſolutum. unde Hippocrates, Vrina optima eſt quæ albam, leuem & æquabilem hypoſtaſin habet. Quæ autem contrario modo ſe habent, alia auxerunt continuitatem, & tenacia euaſerunt: alia continuitatem diſciderunt, & reddita ſunt aſpera. atque tenacium contentorum, alia uel modice affecta, ualde commotam matulam eſſe oportet, ut illa diſſoluantur: alia adhuc magis affecta: ſic ut etiam commota matula modice diſſoluantur: alia inſuper uſque adeo tenacia, ut non facile diſſoluantur, cum iam glutinoſa ſint. Contentorum aſperorum alia modice affecta ſunt, ita ut uiſus capiat partes eorum iam diſcretas, alia magis affecta, unde magis apparent & conſpiciuntur, uiſúſque magis capiat altitudinem & latitudinem corporis urinæ: alia uerò plurimum ad omnem altitudinem, latitudinem, atque magis longitudinem, perinde ac eſſet in fruſtra inciſa.

Hippocrat. lj. præſag.

In contentis quæ mediocria ſunt, leuia & æquabilia, coctionem naturalem indicant: aſpera uerò concoctionis defectum. Cæterum contenta quæ ſuperfluitates quædam ſunt tertiæ concoctionis: maiora, minora, aut mediocri quantitate in urinis eſſe contingit. Verum ſi alba, leuia & æquabilia fuerint, atque ſubſtantia modiocri, & ad fundum

Concoctionis tertiæ indicia.

dum matulæ concesserint, tunc tertia concoctio secundum naturam perfecta est, contrarium uero, corpus non benè habere & sanitatem deprauatam esse demonstrant. Magna in urinis contenta facilem concoctionem & ualidum calorem naturalem, otium, & uictum copiosum & ad digerendum facilem indicant. Interdum etiam non parua quædam retentio euaporationis in uniuerso corpore, magna in urinis contenta producit. Tenuia contenta & pura nec facile assurgentia, quando matula commouetur, magnam debilitatem naturæ in tertia concoctione adesse significant: Crassa uero apparentia contenta, nec male olentia, tunc non saniem sed crudorum quorundam humorum in uenis separationem significant. Et ut multa contenta in urinis, multum nutrimentum & robur alteratricis potentiæ: sic pauca, ob inediam, exercitia, opilationes, & tardas concoctiones fieri dubium non est. (Contenta tenuia) (Crassa.)

Nunc de contentorum coloribus secundum naturam, quos nemo esse uehementer albos aut sub spiceos dixerit, sed mediocritatem inter ipsos obtinent. Contenta uero præter naturam uehementer alba si fuerint, humoris alicuius phlegmatici recrementa sunt: aut pus summæ coctus, quod ab aliquo interno membro proficiscitur. (Contentorum colores.)

Colores

Colores subspicei & Spicei boni non sunt, nisi mediocres fuerint, à mediocri scilicet bile, siquidem bilis contenta per se mala sunt. quippe quæ exhaustam esse bilem rubeam in tertia concoctione (quæ fit in uenis) significant. Contenta nigra pessima sunt, quæ superatam uirtutem à multitudine malorum humorum indicant, nisi talium humorum sequestratio ac separatio fiat, sicuti in morbis melancholicis, ueluti febri quartana. Adhæc non minus periculosa contenta ueneta, liuida, & eo magis quo uersus fundum matulæ contenta recesserint. Subrubea atq; rubea contenta cruditatem quandam in tertia concoctione, ob rubeæ bilis excessum demonstrant, nec uacant periculo, nisi minuatur excessus, ut facile uirtus ad se reducatur. Contenta ueluti cruore suffusa, peiora sunt rubeis contentis, sed meliora liuidis & nigris. significant enim sanguineum humorem non omnino elaboratum esse. Fusca in urinis contenta & liuida & nigra mortificationem uirtutis uitalis aut humoris melancholici abundantiam præ se ferunt, nam ubi sanguis uersus fuerit in colorem nigrum, uirtutis remißionem, & (ut iam dixi) mortificationem, tormenta, uerbera, aut aliud quid simile, portendit: tunc enim natura tanquam superfluum illinc deriuat atq; urina eiusmodi excrementis tingitur. Sequitur nũc ut de orobea, furfurea, laminea atque similacea hypostasi,

Contenta nigra.

Subrubeã & rubea contenta.

postasi, quæ semper fundum matulæ petit, aliquid dicamus. Orobea igitur hypostasis (quæ ab orobo seu eruo deglubro nomen accepit) in urinis apparet, ubi caro (pingui iam consumpto) incipit imminui. significat enim corporis uniuersi uel renum duntaxat collicationem, sed in his qui toto corpore febriunt, orobea hypostasis, corporis totius liquefactionem significat: qui uerò febre nõ affliguntur, horum renes soli hanc affectionem ferunt, & in matulæ fundo tantum subsidet, quantum de carnis substantia depascitur.

Hypostasis quæ semper malulæ fundum petit.

Furfurea hypostasis, à similitudine eorum unde nomen deducit appellata, peior est prædicta, & melior quam laminea. apparetq; dum febris in profundis uasis infixa est: interdum etiam solius uesicæ patientis signum. quod concoctione, cruditate, febre, ac febris absentia, ut est de orobea dictum, distinguitur. Quibus nanq; in urina crassa (inquit Hippocrates) furfurea simul prodeunt, ijs uesica scabie laborat. Furfurea igitur contenta, quæ totius corporis assumptione fiunt, febri & urinæ cruditati iunguntur: contra uero quæ malè affectam uesicam significant, sine febre cum urina cocta & partis affectæ molestia. Laminea hypostasis, quæ laminarum instar, lata & tenuis est, qua solidæ corporis partes tabescere significatur contingit, interdum & renum uitio, ut in orobea: sed potius exulceratæ uesicæ est signum. unde Hippocrates, Si

Hypostasis furfurea.

iiij. Aphoris. lxxvij.

Hypostasis Laminea.

Hip. Aphor. lxxxj. tes. Si quis ſanguinem & pus & ſquamulas mingat, grauiſque ad odor fuerit, his ueſicæ exulcerationem patitur.

Similaceas Similacea hypoſtaſis, quæ craßi furfuris ſpeciem refert, prædictarum peßima eſt: quæ ſi ad album colorem tendat, ſolidarum partium collicationem: ſin uerò rubea ſit, ſanguinis aſſati indicium erit, & utraque ab hectica febre incenditur. Accidit nonnunquam ut bona hypoſtaſis cum malis quibuſdam & incoctis humorum portiunculis, ueluti ramentis, & contentis uerſus aureum uel album uel propinquum colorem, conſpiciatur. quæ ſi multa fuerit ſemicoctam materiam eſſe indicat: ſin uerò pauca, moderationem & ex mala uictus ratione conquiſitam. Et quo maiora ramenta fuerint, eò maiorem caliditatem oſtendunt.

Capilli figura in contentis urinarum. Interdum etiam in contentis ueluti capilli ſubalbi inſpiciuntur, renum quandam paßionem indicantes. Cum uero conſpiciuntur in ipſis contentis plura ac diuerſi generis corpora, & in ipſo urinæ ſinu diſperſa, tum dolores in corpore diffuſos hominem corripere eſt indicium. Porrò contenta ſi omnia continua & leuia manſerint, nihil noui in homine productum eſſe ſignificant: ſin uerò fuerint aſpera atque ueluti diſperſa. non paruam perturbationem generatam in profundo corpore ex aliquo adulterino, (nempe calido & humido, atque

atque uiolento) ſpiritu denunciant. Quod ſi aliquid ualde crudum contentis immiſceatur, id ſpiritus uiolentia pulſum ad ſublimes partes indicat, doloremq́; ſenſibus infert. Iam uero de locis contentorum dicamus, qui tres ſunt numero. Etenim contenta quæ ad matulæ fundum ſibi ſedem uendicant, hypoſtaſes, quæ ad matulæ medium eleuantur, ſublimia: et quæ ad ipſam urinæ ſuperficiem, nubes: ſicuti antea diximus, appellantur. quæ omnia bona ſi fuerint & moderata, nihil noui in corpore humano ſignificant: ſi uero cruda atque ſpecie diuerſa, contrarium.

Contentorum loci.

Supereſt ut de ijs quæ in urinæ ſuperficie natant, nonnihil etiam breuiter attingamus: cuiuſmodi ſunt liquida quædam, araneæ, & olei uelut puncta, nunc pauca, nunc plura, nunc tenuia, nunc craſſa: qualia in pingui iure refrigerato innatare uidentur: quæ alicuius collicationis ſiue totius corporis, ſiue renum indicabunt. Verum ſi parum apparuerint & ſeſe reſoluerint, difficultatis nihil adeſſe ſignificant: ſi perſeuerarint, tanquam principium collicationis id timendum. Innatant quoque bullæ quæ ob ſpiritus extranei, præſertim craſſi, uehementiam fiunt: & capitis dolores & renum, atque pulmonis defluxum indicant. harum aliæ perquam magnæ, aliæ perquam paruæ, aliæ mediocres exiſtunt: Et quædam ex his per

Vrinis innatantia.

per omnem ſuperficiem urinæ apparent, quædam contra in ſola corona circumiacent aut aliqua eius parte, ſiue in pluribus ſparguntur: item uel in media urinæ ſuperficie uel in altera ſola medietate ſuperficiei, aut alio modo inordinato et complicato, tam per coronam quam ſuperficiem innatant: Et quæ in corona ſpectantur uel ſingulæ uel binæ, ternæ, aliouè numero conſiſtunt: diſpari etiam magnitudine. Sic de ijs quæ in matulæ planicie fluctuant, tum ſparſæ, tum ſociatæ. Intelligendum tamen non eſt de bullis innatantibus, quæ fiunt cum urina mingitur, ſed de ijs tantum quæ remanent poſtquam quieta fuerit, atque omni ex parte refrigerata. nam bullæ eiuſmodi urinæ quieſcentis et refrigeratæ, à præſtantiore quadam cauſa generatæ uidentur: quæ uero paulo poſt quam intumuerunt diſſoluuntur, debiliores habent cauſas & perquam facile ſolutæ abeunt. Atque urinæ cum ſubalbidis & ſpiceis, aureis, & ſubrubeis coloribus maxime conſpicatæ ſunt: non autem cum nimium albis coloribus unquam uiſæ ſunt, neque rubeis, quia ſpiritus ad eas non poſſunt generari ubi exceſſus eſt calidarum dominantium. Sunt enim bullæ ſpiritus adulterini ſigna, & quæ in corona ſola integra ſerie collatæ ſunt: atq; ſi contigerit ut colore humoris tinctæ ſint urinæ, maiorem capiti affectionem adeſſe ſignificant. Quæ uerò ſparſim in corona manent, à debiliore

Bullarum ſigna.

debiliore fiunt causa: uidelicet spiritibus debilioribus, & minorem tolerabilioremq; dolorem inferunt. Ve-*runtamẽ eò maiores dolores capiti adesse ostendunt, quo cum intensius aureo colore inspiciuntur. indicant enim magnã nocentis spiritus sæuitiam.* Bullæ albæ *uel albis uicinæ in superficiario et circulari urinæ ambitu consistentes, paruum aut nullum capiti dolorem adesse denunciant. quod si tum fuerit urina tenuis, habueritq; contenta non omnino cocta, caloris naturalis imbecillitatem indicabunt: si uerò crassa fuerit urina, tum spiritus proprius est humori ipsius urinæ.* In *urina tenui & hypostasi priuata, bullæ renum opilationem potius indicant. & quas uersus mediam superficiem urinæ pendere uiderimus, affectionis remißionem ostendunt. quinetiam bullæ aliæ in urinarum superficie pallentes, nihil super capite demonstrant, sed solum multam naturæ debilitatem: & maximè quo plures fuerint opilationes, & humorum cruditates:* Interdum *naturam indulgere concoctioni indicant, cum pridem uisæ nullibi fuerint. Quin & in his qui seminis fluxu, quem gonorrheam dicunt, laborant: bullæ densius in urinis apparent. idq; in linea circulari, quæ circumducitur per ambitum urinæ, superficiarium coronam uulgato uocabulo dictũ. ubi notam bonam malamúe pro humoris transmutati exuperantia licebit intueri.* In *aureis siquidem*

Bullæ albæ in superficiario ambitu.

 urinis

urinis & rubeis uineisq; & alijs id genus, si alba fuerit corona seu albicans, bona in urinis est nota, quia natura incipit dominari: sed in uiridi & passea urina, si corona sit peioris coloris, contrarium: & inde malum coniectare oportet, tanquam malos humores dominari: qui quidem nocentes pari uirtute & mensura urinas si tinxerint, nulla corona euidens expectari poterit: sed si uirtus uincẽs aut uicta manserit, urinæ colores hoc uel illo modo apparere necesse est. Porrò urinæ aureæ rubeæ, aut uineæ alioue colore tinctæ si in febri uehementi præcesserint, et ad alium colorem (febre manente) mutentur, nec Crisis signum laudabile adsit, tunc phrenesis expectanda. & eo grauior, quo prædicti colores fuerint peiores. Ex odore urinarũ ingrato & malo, putredinem aliquam membri interioris iudicare licebit, itaq; si puris aliquid urinis adfuerit, putredo euidens est causa: si uero odor malus absq; pure, & mediocria uideantur concoctionis signa, particulæ alicuius mortificationem adesse creditur, & cum malis signis corpori uniuerso.

Vrinæ phrenesim indicantes.

Vrinæ citra hypostasim.

Nunc de urinis quæ citra hypostasim apparent, quarum aliæ perquam tenues, aliæ tenues quidem, sed non multum, quædam etiam tenues, etsi mediocribus spißiores uideantur. Cum igitur tenuißima urina atq; uehementer alba hypostasim non habet, tum nõ contemnendam opilationem uasorum, aut indecentem

tem frigiditatem: atq; cruditatem demonſtrat, magis aut minus pro exceſſu uel defeſtu à mediocritate.

Spicea & ſubſpicea minorem opilationem non tamen minorem cruditatem oſtendit. Aurea & crocea urina minorem opilationem ſed cruditatem, tanquã naturalem caliditatem expugnaſſet adulterina caliditas. Quinetiã eiuſmodi urinæ hypoſtaſi priuatæ, prouenire poſſunt ob ingentes dolores, immẽſa exercitia aut materiei defectum. Rubeæ & paſſeæ urinæ dominantium humorum qualitatem atq; proprietatem oſtendunt. Vrina rubea & paſſea.

Supereſt nunc ut de morborum quorundam particularium urinis dicamus, & primo de febribus. ab ephemeris ſeu diarijs incipientes, quæ quidem ab ira, triſtitia, curis, æſtu, frigore, inedia, cruditate: uel alijs quibuſdam cauſis: de quibus antea, generata ſunt. Sunt autem urinæ accidentium indicia quæ circa humores, in uenis manentes exiſtunt. In hac enim febre non niſi ex calore urinæ alterantur, humoribus tamen in uenis prius alteratis, idq; in omnium febrium ephemerarum ſpecie Et priusq̃ illi alterentur, febriũ fit ſolutio, maximè ſi nactam fuerint rationem uictus conuenientem. Quæ autem febres ex humorum putredine accenduntur, aliæ ſunt deficientes ſeu interpolatæ intermittentesúe: aliæ continuæ quæ

assidue uexant. Sed primo deficientium urinas declarabimus. Tertiana igitur puræ febris cum sit, urinæ spectantur aureæ & croceæ, substantiam mediocribus crassiorem habentes. atque primis diebus nullum coctionis signum euidentissimum subsistit, idq; ratione cruditatis & alicuius opilationis. Tempore uerò procedente, signa coctionis apparent. Cæterum bili dominante atque putrente in uenis, urinæ croceæ & rubeæ interdum apparent, frequentius tamē passeæ, uirides, & nigræ: atq; si contenta adfuerint, ea apparebunt biliosa & ualde mala. Impurarum uero tertianarum urinæ, aureum colorem excedunt, & ad uineum attolluntur, substantia etiam crassior quam in exacta tertiana. Plura etiam signa cruditatis circa contenta cernuntur. Cæterum tertiana impura magnitudine & qualitate bilis, tertianam puram superat, ita ut longiore tempore ad concoquendum sit opus, nam bilis maior & deterior est. Quartanæ febris, quæ a liene trahit originem, urina deficit in substantia, quippe quæ tenuis est atq; alba, & hypostasi priuata in principio: temporis uero processu, præsertim diebus remissionis, apparet in ea hypostasis cumulata, tametsi urinam ipsam interdū turbidam apparere cōtingat. Porro in melancholicis humor si quando putruerit ac per corpus discurrerit, febrem quartanam intermittentem efficiet, in cuius paroxismo urinæ,

Febris tertianæ puræ urina.

Vrinæ impurarum tertianarum.

Febris quartanæ urinæ.

urinæ, quales iam diximus, apparebunt. ſed cum humor ueluti ad exitum producitur, tum urinæ apparent uenetæ atq; nigræ: Et *hæ quidem morbi ſolutionem indicant.* In *febribus quartanis ab hepatis calida intemperatura, urina ſubrubea & rubea cernitur: craßior mediocri, hypoſtaſim ut quantitate moderatam, ita dißimilem continens, & ad colorem aureum interdum uergens. Hæc febris quartana notha dicitur. cuius urina nonnunquam in totum craſſa & rubea ſpectatur: iuxta humoris implicati ac dominij qualitatem. Amphemerina febris, id eſt quotidiana cum adeſt, urina eſt tenuis & alba ac ueluti aquea, atq; hypoſtaſi priuata in principio, ſicuti de quartana dictum eſt, ſed in progreſſu fit craſſa, hypoſtaſim cumulatam & craſſam (humore iam concocto) habens.* Frebris quotidianæ urinæ. *Febrium coniunctarum atque continuarum urinæ tendunt ad deteriora. in quibus contenta quoq; mala ſpectantur atq; uaria, pro qualitate humorum excedentium. Generantur enim febres putridæ uel à pura bile putrefacta uel à ſanguine aut pituita aut melancholia: uel ab omnibus mixtis, ueluti à duobus aut tribus humoribus complicatis, ſed quæ ex ſimplicibus humoribus ortũ habent, earum cauſæ & iudicia facile concipiuntur:* Complicatarum *uerò difficilis exacta cognitio. Continuarum igitur febrium à putredine primum urinæ alterantur ad aureum,* Febriũ cõtinuarum urinæ.

rubeum uineum, & passeum colorem, ut fuerit humorum qualitas & quantitas. In febre continua ob putrefactam pituitam, urinæ apparent subalbidæ & crassæ, ueluti glaucæ & charopæ. Cumq; colores uel albi uel diuersi apparent, contenta ipsarum in principio concocta non cernuntur, sed dißimilia: procedente uero ægritudine, facilis concoctionis apparent signa. Interdum etiam post febris uigorem contenta cumulata & crassa subcidere spectantur: cum putredo quæ in uenis erat, ab eo tempore principium repetat. In erysipelate, igni sacro, & similibus affectionibus admodum calidis, & in membro aliquo principali, tunc urinæ multum alterantur, idq; magis si partes principes ac nobiliores & affectus calidißimi fuerint: primum quidem tenues & absq; contentis spectantur. Hepate igitur & pulmone patientibus ob aliquem eiusmodi æstum ex humore quodam, urina spectatur per quam rubea atq; sanguinea & uinea, pro affectus magnitudine & qualitate. Ipsis affectibus si cerebrum aut septum transuersum aut uenter patiatur, tum urinæ minus alterantur: patientium uero dictas affectiones in liene, urinæ color malus apparet: ob nigredinem humoris, qui in eo abundat, si per urinas minuatur, sed horum febris minor quam in prædictis existit. Vterus, renes, uesica, colon,

Vrina in affectibus calidis.

& po-

& podex si afficiantur, urinam alterant, sed minus quam cerebrum & septum transuersum. Interea menses absq; ratione si retineantur, post mensem in contentis ramenta rubea innatare apparebunt, & procedente retentione plura ramenta expectabuntur, & urinæ color ad subrubeum & rubeum tendit. Membrorum affectorum quæ extrinsecus longe distant à caloris fonte, urina mediocriter mutatur, alteraturúe, & concoctionis signa apparent, cum nulla febris putrida ab illis membris accenditur: contra uerò quæcunq; membra interna ab aliquo influente humore frigido patiũtur, siue cerebrum sit siue epar, pulmo, septum transuersum, uenter: siue particula alia horum membrorum: illa quæ longius à fonte calo ris seposita sunt minus alterantur, atque frigidi & crudi humoris actiones ostendunt. Et huiusmodi urinæ albæ & tenues spectantur, atq; frequentius contentis priuatæ: tametsi nonnunquam crassæ cum crudis & pituitosis contentis pro qualitatis & quan titatis dominio & paßionis excessu. nam si frigiditas excesserit, & usq; ad cor peruenerit, deijcit uehementer ipsius cordis robur, caloremq; naturalem interdum extinguit. præterea si frigidam intemperaturam cor patiatur, urinæ mediocriter alterantur, in clinantes ad albedinẽ atq; contenta aderunt cruda et

quantitate mediocria. Nec longe aliter in concoctione debili urinæ profluunt. Cæterum qui animo seu spiritu aut neruorum genere affectionem quandam patiuntur, non facile per urinas fit iudicium, nisi uenarum genus sensum membri suscipia. Vrinæ siquidem melius ostendunt quæ humoribus & concoctionibus insunt: pulsus uero alterationem factam in spiritibus & uenoso genere. atq; in affectibus cordis & ad uires primum considerandi. Vrinæ porrò robur & imbecillitatem iecoris, & aliarum partium naturalium indicant: sicuti alui deiectiones uentriculi & intestinorum. Contemplanda semper in urinis substantia, color, & contenta: nec non temporum differentiæ. Solent namq; interdum urinarum substantiæ alterari, nec semper eodem modo permanere atq; maiori motione in eis, quam in coloribus mutandis est opus. Interea mutationes huiusmodi uel ordinatæ sunt, aut nullum ordinem seruant: ut si color & substantia in urinis complicentur, deinde alteruter uel ambo alterentur, postea in primum statum redeant, hæc uarietas ordinata dicitur: contra uero si in ordinatis reditibus & temporibus colorum & substantiarum fiat mutatio.

Quid urinã & quid pulsus indicet.

Colores unde fiant.

Colores uarij fiunt cum ab uno in alium fit transitus seu transmutatio: ut si urina nũc appareat alba, cras aurea, postea aliter: uel contra quomodocunque contin-

contingat, & tunc coctionum differentias siue bonas siue malas considerare licebit. Interdum enim in totum crassæ apparent, nullam sequestrationem habentes: interdum in eis subcidit ad fundum matulæ id quod craßius est, reliqua urina crassa etiam remanente: nonnunquam omnis craßities ad fundum consedit, quæ nunc magis nunc minus suffundit. Idem & in tenuibus fieri contingit: interdum pendentia uidentur, & aliquando attolli usque ad superficiem urinæ: nonnunquam leuia, interdum dißipata, alba, quædam alia in alios colores mutata, & aliquando tenuia effecta ex craßis, & crassa ex tenuibus: nonnunquam è superiori loco decidunt ad inferna, interdum contra ab inferiori ad superna feruntur: idque cum diuersis coloribus & substantijs, in quibus multæ reperiuntur uarietates.

Huc de matulis, loco congruo, & tempore spectandarum urinarum referamus. Matulæ igitur ex uitro albo & tenui esse debent, ut exactius colores appareant. Virides enim non solum de coloribus aliquid immutant, sed substantiæ quoq; iudicium peruertunt, & in eis contenta exacte non apparent. Figura ipsius matulæ admodum patens non sit, ut altitudini quoq; locus sit, per quem contenta contineri ualeant. Ne sint etiam extraneæ figuræ, ueluti arctæ nimis aut latæ, altæ, crassæ uel duplices, sed quoad Matulæ.

fieri poterit ſimplices & leues non multam urinam ad fundum cõtinentes, ſed in triplici dimenſione æqua proportione reſpondentes, ut quantitas urinarum quæ omnino & perfecte excipienda eſt, contineri poßit.

Locus in urinis inſpiciẽdis commodus.

Locus in urinis ſpectandis commodus erit non umbratilis, nec pellucidus, ſed inter hos medius, quo manifeſte contenta uideantur. Quod ſicubi loca ſint, ualde obſcura, transferenda urina ad locum ſublucidum ubi latentia pateant. At ſi urinæ in matulis factæ, attactu ſubcalidæ fuerint, in eis minus exactè ſpectantur contenta, ſubſtantiæ, & bullæ: ſed color perfectê apparet: ubi autem refrigerata urina fuerit ac ſubciderit, eadem hora, aut alias intra ſex, inſpicienda, atque ſi frigore uel alia occaſione turbata uel incraſſata mutatione fuerit, ad ignem poſita ac diſſoluta inſpiciatur, nam in aqua calenti aut ſuper cineres calidos poſita, hypoſtaſis diſſoluitur, permiſcetur & ſuam ſedem deſerit, craſſas urinas nedum tenues commouere oportet, priuſquam omnia uiderimus: ne contenta in concuſſa ſuam ſedem effugiant & bullæ aut ſpumoſæ quædam ſuperfluitates enaſcantur, & inde flatulentos ſpiritus adeſſe iudicauerimus. Bullæ huiuſmodi ſiue in urina fiant, ſiue ex motu & concitatione generentur, auriſcalpio attactu euaneſcunt. idq; ob acrimoniam bilioſi recremẽti.

Nunc

Vrinæ iuxta ætates.

Nunc de urinis ſecundum ætatem, ſexum, naturales quaſdam temperaturas, exercitia, anni tempus, regiones & alimenta dicamus. Infantibus igitur aquoſæ tenues & crudæ minguntur, principio dum febre tentantur, ab obſtructione & uermib. In iuuenibus autem temperatis & ætate florẽtibus, urina erit ſubaurea & ſubcrocea, & mediocris hypoſtaſis. Senum ſubtilis & alba paucam hypoſtaſim habens, quæ ad cruditatem inclinat: et quo magis proceſſerit ætas, eò magis ad frigidum declinat, atq; urinæ albiores & tenuiores redduntur. Puerorum urinæ ut parum à ſub aureis & ſubcroceis recedunt, ita ſubſtantia parum excedunt iuuenum urinas, et hypoſtaſim cumulatam congregatamq; continent. Et quo pueri fiunt natu maiores, eò intenſiores colores urinarum aderũt, ſed hypoſtaſis quantitas minor. At uerò quantũ ætas ad ſenectutem declinat, tantum etiam urinæ ad album colorem recedunt, hypoſtaſisq; minor & obſcurior fit. Plura igitur contenta expectabuntur in pueris quàm in iuuenibus et ſenibus, ratione quietis & facilioris concoctionis. Mulierum uigentis iuuentæ atq; temperatarum, urinæ non multum recedunt à colore ſub aureo & ſubcroceo uerſus album tamen declinantes, & ſubſtantiæ ſubtiles quodammodo ſunt: ueruntamen hypoſtaſin congregatam magis uidentur habere quàm uirorum urinæ, ſubſtantia uerò pellucidior

Mulierũ otiog

quo-

quodammodo quam in uiris expectatur. Plura contenta in mulierum urinis quam uirorum duabus de causis Actuarius existimat, nempe quod superfluitatibus abundent, & natura humidæ sint, hoc ex semine & naturali genitura : illud à debili concoctione. Genus siquidem muliebre domesticum est, paucis exercitijs utens, atq; remissam habens naturalem caliditatem, comparatione cum caliditate masculorum habita, unde concoctiones debiles efficit.

Vrinæ uirginum.

Virginum urinæ puræ & claræ absq; macula iudicantur. Grauidarum mulierum dum sanæ sunt, urina albam nebulam in modum bombacis optimè carpti, in hyeme poßident: in æstate uerò colorem sanguineum. Possunt ex accidenti alios calores aliaue cõtenta poßidere. ob id in utero gerentibus, febribus pestilentibus, cutis, partium extremarum & pectoris affectibus, atque infantium morbis, fallacem urinam nonnulli protulerunt. Alij quidem in ipsis grauidarum mulierum urinis imaginem quandam propè matulæ fundum apparere, idq; primis temporibus, et sunt minus albæ minusq; subtiles, quam mulieris non grauidæ. Quidam in lapide marmoreo aut re multũ frigida, gutta urinæ mulieris grauidæ super posita, in lactis essentiam (colore non immutato) conuerti autumant.

Vrinæ ex intemperie.

Nunc de urinis quæ ex intemperie simplici indicantur. Itaq; ex quatuor qualitatibus

bus duæ sunt paßiuæ humiditas: & siccitas: illa si excesserit, urinæ naturalem colorem in aqueum uergentem obtundit: siccitas uero minuit urinæ humorem, & contenta: splendorem uero ac fulgorem atq; colores mediocres & substantiam gignit: modo defectus nutritiuæ humiditatis non defuerit: hypostasis uero, etiamsi secundum alia mediocris, substantia tamen craßiora cernitur. Caliditas supra modum paulo excedens, urinam subauream atq; subcroceam: sed aucta ubi fuerit, eam efficit auream atque croceam. Præterea conturbantur & crassæ urinæ ubi cruditas uincit. Et qui plusquam par est laborant & sese exercent, ijs urina subcrocea & crocea apparet, hypostasis parua & tenuis subsidet, eius etiam colorem contingit alterari, atq; interdum liquamen quoddam apparet: præsertim in ea quæ ex multum fatigatis emingitur, idq; uel à renibus uel alijs quibusdam corporis partibus aliquo pingui colliquefacto, ob caloris excessum. Eorum qui in otio & quiete uiuunt, urinæ ad albedinem tendunt, ob paucitatem calidi motionem habentis. in quibus hypostasis maior, craßior & crudior subsidet.

De urinis quæ per anni tempus, regiones, & mutationes apparent nunc dicamus. Vere igitur quantum tempus ad calidum processerit, tantundem urinarum colores à subspiceo & spiceo discedentes procedunt

Vrinæ iuxta anni partem & ætates.

procedunt ad colorem ſubaureum & ſubcroceum: hypoſtaſis uerò à craſiore incipit mutari in tenuem.

Vrinæ iuxta anni tempus.

Cum æſtas incipit tum urinæ apparent ſubaureæ & ſubcroceæ: ſubſtantia uerò mediocris: hypoſtaſis tenuior mediocri apparere incipit alba, leuis, et æquabilis: procedente uero æſtate & ad ſummum accedente, quantitas humoris minor ex proportione ſpectatur. At uero ubi autumnus acceßit, tum colores reuertuntur ad mediocritatem, ſed fulgor & tenuitas adhuc remanent: hypoſtaſis eſt obſcura et adhuc parua, alba, leuis & æquabilis, procedente uerò autumno ad mediocritatem ſecundum omnia redit urina.

Cum autem ſol fuerit circa ſolſtitium hyemale tum quantitas urinæ ex proportione redditur, & color in albedinem uergit: hypoſtaſis maior: reliqua uerò mediocria. Procedente hyeme urinæ ſubſtantia eſt ſeu inæqualis, nam interdum craſſa, interdum tenuis ſpectatur & candida: quantitas uerò humoris maior ex proportione rei ebibitæ. At uerò contenta huius & maiora ſunt & incocta. Vbi autem æquinoctium uernale adeſt, tum hæc dißeparantur atq; diriguntur ut redeant ad mediocritatem.

Vrina ex intemperie alimentorum.

Vrinæ ſecundum regiones, temporum urinis proportione reſpondent. Cibi & dietæ calidiores uel frigidiores, ſicciores uel humidiores tales urinas producunt, quales gignunt prædictæ intemperaturæ.

Eorum

Eorum qui dormiunt per paßiones seu ægritudines & non per naturam, urina ad album colorem uergit, cuius substantia crassa aut tenuis est: contenta uerò plura apparent sed incocta. Qui uerò per naturam dormiunt, urina minus alba est, quippe quæ spicea spectatur: cuius substantia ad mediocritatem dirigitur: quin etiam contenta sunt maiora & benè concocta. Somnus enim hominis sani & secundum naturam se habentis, fit ob humiditatem suauem atque mediocrem caliditatem naturalem: somnus uerò hominis aliter affecti, fieri solet ob humiditatem multam, præsertim pituitosam, atque ob alimenta & medicamenta frigida.

Vrinæ dormientium.

Rursus qui uigilarunt sed non per naturam aut aliquam ob causam, urina circa principium minimè mutatur in substantia, colore & contentis: procedente uerò tempore dißipantur ac deficiunt contenta, fitq; urinæ ipsius liquor tenuis color uerò ad album & aqueum uel ad aureum & croceum, oleaceum & nigrum iuxta causæ mutantis proprietatem uergit. Eorum qui multum comederunt ac biberunt urina est subtilis & alba, & interdum absque hypostasi, & qui media laborant urina est flammea, id est, aurea & crocea ac tenuis apparet, cum exiguis contentis. Et qui fame premuntur horum urina est tenuis & alba, & priuata hypostasi cum quodam splendore.

Vrina uigilantium qualis.

Iam

Vrinarum contenta in senibus.

In senibus iam dicti colores non ita mali, atq; in iuuenibus & ætate uigentibus: præsertim si contenta nulla appareant, aut parua sint, & minus mala. Solent enim apparere in summa cruditate & frigiditate atq; longa debilitate, nec non in paruis opilationibus. quæ si manserint, capitis difficiles pulsus, obtenebrationes, uertigines, morbum comitialem, ciborum fastidia, caninos & rerum ad nutriendum minimè conuenientium appetitus, artuum dolores, neruorum motiones difficiles, renum & capitis diuersas paßiones & graues, atq; tabidam ex ægritudine senectam, ostendunt. Et qui student ipsis opitulari & ferre suffragia, considerent ætates, temperaturas, consuetudines, sexus, anni tempus: & interdũ anteactam uictus rationem. Porro urinæ quæ remißè albæ sunt, ut lacteæ, glaucæ, charopæ & similes, in initijs & & incrementis febrium, sunt malæ, & eo magis quo uehementiores sunt febres. in ijs enim multitudo materiæ putrefactæ augeri cognoscitur: in febrium uero declinatione sanitatem indicant, præsertim si multitudo urinarũ excesserit. Idcirco considerare oportet ægritudinis malignitatem, & quanto tempore ad concoctionem indigeat ubi cruditas adest. In diabete si neq; coloratũ urinæ corpus & imminutũ sit, fluorem urinæ ad malum procedere indicat: & naturam antea defatigatam, à morbo superari est timendum.

Vrinæ quæ febrium initijs malæ.

Iam uerò

Iam uerò quid ex urinis præuidendum paucis cõplectamur. Sed quia ſpiritus (cuius receptacula arteriæ ſunt) primum ſentiunt & corporeis mutationibus alterantur, à pulſibus præuidentiæ factæ ſunt firmiores tum demum humores poſt ſpiritus ſequuntur & hi cum alterati fuerint in urinis ſignum exhibent ſuæ alterationis. Febrium indiabete itaq; magnitudinem atq; uirtutis cõſtantiam expulſuum attactu colligere licebit. Conſideranda etiam excrementa, cõſtantiáne fuerint: item faciei color & alia de quibus alibi diximus, nam hoc loco de his tantum quæ ad urinarum inſpectionem pertinent, dicere conſtitui. In febrientibus igitur eiuſmodi urinas (de quibus iam ſumus loquuti) mingentibus ſitis interdum minor erit quàm quæ ratione febris ſpectatur, atq; in mutationibus urinarum febris ſolutionem, quemadmodum ex concoctionibus qualitates criſium proſpicere oportet. In hominibus autem ſanis ſi eiuſmodi urinæ apparuerint, mediocritatem à frigiditate offenſam arguunt. Subſpicea & ſpicea urina in febribus non ſpectatur, & ſi contigerit ut cum ipſis urinis febres adſint, hæ imbecilles ac facile ſolubiles uel ephemeræ eſſe poſſunt. Et ſi ardentiores præceſſerint & huiuſmodi urinæ poſtea apparuerint febrem ſolui indicant. Vrinæ ſubaureæ & ſubcroceæ mediocres cum ſint, non poſſunt niſi mediocria incommoda indicare

ueluti aßiduas rerum acutarum commeſſationes uel immodica exercitia, & id genus.

Vrinæ aureæ ac croceæ in quib. peiores.

Aureæ & croceæ urinæ in ſenibus & mulieribus atq; cæteris id genus, peiores ſunt quàm in iuuenibus & ætate florentibus. quia maiorem cauſam in illis arguunt, ueluti febrem ex bile iam crocea per totum corpus diffuſa.

Vrinæ ſubrubeæ & rubeæ in adoleſcentibus, iuuenibus, & ætate florentibus, non multum auctam læſionem indicant, ſed in ſenibus & ijs qui iam pridem naturalem caliditatem imminuerunt, ſunt peßimæ. Plurimo ſiquidem tempore egent ad concoctionem, ubi non paruus metus eſt, ne defeſſa uitali uirtute ſolutio paßionis ſit mors. At in adoleſcentibus & uigentibus ætate ſanguineum humorem auctum eſſe potius indicant.

Vinei urinarum colores creduntur peiores eſſe ſubrubeis atq; rubeis, illi enim bileſcente potius ſanguine exoriri ſolent, nam cũ ſanguis ab aliqua cauſa alteratur ad mediocrem ſpeciem bilis, tum eiuſmodi colores ſpectantur, atq; interdum bili eo modo excedente ſitis non modica exoritur, ſomni perturbati, ſiccitas oris, febris acuta, deliria, tußis cum dolore hepatis: quæ mutationibus dolorũ iudicantur quàm ſint mala indicia: atq; per ſingulas coctiones iudicamus ſolutionis celeritatem.

Vrinæ

Vrinæ passeæ cum multitudine & craßitudine, corruptionem in hepate bilis ipsius accumulatæ significant, ex qua arquatos maximè fieri uidemus. Quamobrem non aberrauerimus eiusmodi urinis spectatis, si auriginem homini aduenturam pronunciauerimus. Veruntamen cum non adhuc inflammata est materia (quoniam inflammatis prouenit materiæ excretio) paruæ quædam & manifestæ febres suboriuntur, atq; sitis perquam modica quibus accidentibus pleriq; decipiuntur.

Vrinæ passeæ multæ.

Viridium urinarum colorem, ubi de urina uiridi dictum fuit, descripsimus, qui si oleaceus fuerit, ob collicationem pinguedinis eius qui ægrotat, generatur, & febrem hecticam adesse arguit, grauioremq; affectum indicat quàm qui simpliciter uiridis existit, nisi paulatim retrocedat, & ad naturalem conuertatur. Quod si huiusmodi urinæ & quæcunq; suapte natura malæ sunt, si peiores indies reddantur, prædicere decet periculum imminens, atq; cautè conuersari cum ægroto periclitanti, ne maleuoli nos in calumniam rapiant. Fit autẽ uiridis color in urinis ob maximam bilis adustionem, & praxea quibusdam est nuncupata, cuius accidẽtia hæc sunt, utpote insania, febris aßidua et deficiens, uomitus atq; bilis puræ excretio, uirulentæ, adustæ: sitis aßidua, æstus, lingua sicca, hypochondria subcõtracta et similia. Vbi si uirtus

Vrinarum uiridis color unde fiat.

robusta fuerit & colores remittantur, mutenturq; ad meliores, spes est ægrotantem superesse: si uerò perseuerarint & malignos esse non desistant, metus est non paruus, ne ob spasmum à siccitate & æstu, somnus profundus & malus hominem capiat. Venetæ urinæ & liuidæ atque nigræ frequentius ab humore melancholico colorem accipiunt, & interdum ob alias causas, quas antea adduximus. Huiusmodi urinæ si melancholia uel febris quartana adfuerit, uel lien tumefactus, & hoc humore repletus solutionem affectionis indicant: in alijs uerò febribus uel mediocribus & diebus non criticis, mortem minantur. Neque uincẽtur ægri ipsis urinis apparentibus, etiam si duo bona cum uno signo malo pugnarint.

Hactenus de præuidentijs urinarum, nunc de earum substantijs agemus. Vrinarum igitur substantiæ mediocriter crassescentes uirtutem quodammodo confirmari ac corroborari significant. Vrinæ uerò substantiæ tenues si persistant, arguunt paßionum quæ corpus occupant accidentia tum manere, tum etiam fortasse increscere. Increscunt accidentia uirtute naturali cessante, & adeo defessa ut affligentibus humoribus aduersari non queat. Quod si immodicæ tenuitatis fiat remißio, & accidentia diminuantur, uirtus ad se quodammodo reducta paulatim concoctionem inducet, atque in urinis id tenue appellatur, quod

Vrinarum substantia.

quod maximè est pellucidum, & in quo uisus per omnia facilime transit. Crassæ urinæ post tenues morbi declinationem in febrib. futuram ostendunt, natura enim materiam concoquere incipit, & superat. Quod si unà cum accessu febrili urinæ crassæ appareant, quæ temporis progressu non desinant crassescere, neq; si desiuerint attenuantur, neq; si ad meliores colores mutentur tum uirtutis infirmitatem adesse cum humorum multitudine & periculo significant.

Tenue in urinis quid dicatur.

Crassæ urinæ post tenues.

Sed ex contentis nunc iudicia prosequamur. Vt igitur contenta alba, leuia atq; æquabilia omni tempore apparentia, sanitatem indicant: ita è diuerso tantum ab his imminuitur, quantum ab exacta sanitate receßisse poterit iudicari. Eodem modo de cæteris contentis si à suo loco desciuerint, nam quæ à fundo matulæ uersus supremam regionem eleuantur, spirituum copiam sursum contenta erigentem, attollentemq; ostendunt, arguuntq; illa loca corporis male esse affecta, atq; contenta accidit impelli, habita ratione humani corporis, locorum, & matulæ. Quinetiam contenta eò peiores affectus enunciant, quo magis ad fundum matulæ concesserint, ueluti concedunt eò contenta secundum naturam.

Vrinarum contenta unde eleuentur.

Contentorum peßima erunt nigra si fuerint sublimata in medio: deinde descenderint ad fundum: Contenta uerò bilea, sanguinea & rubea rationem

Contenta peßima.

mediam obtinent. De hypostasi orobea, furfurea, laminea, & similacea dictum fuit, ubi de contentorum coloribus agebatur. Veruntamen si eiusmodi contenta plura & peiora processerint, naturam defessam esse ac deficere pronunciandum: Contra uerò si pauca et ad meliora continuè uergant, salutem ægrotanti aduenire iudicabimus. Ex bullis quoq; urinarum indicia quædam sumimus.

Bullæ.

Bullæ igitur in urinis hominum secun... n naturam se habentium, fieri dicuntur ex spiritibus infrigidatis, præsertim si fuerint magnæ, diffusæ, & absque ordine. In febricitantibus uerò urinarum bullæ quæ nondum uisæ fuerant, febris solutionem prope futuram significant, uigoremq; præterijsse, suntq; ueluti obscura quædam concoctionis signa, atq; nuncia contentorum materiæ iam coctæ. Interdum pro bullis non apparentibus adsunt crassæ spumulæ, non secus atq; in uino nondum satis defecato solent innatare. At uerò si bullæ, cum febris adest, apparuerint, & processerint, dolores magnos & periculosos ostendunt, maxime si cum tenui substantia urinæ ueluti corona innatarint: cum crassa substantia uero tanquam cum modestiore bullæ etiam moderatiores fiunt. Præterea bullæ quæ capitis dolorem innuunt, si breui dissoluantur, dolores quoq; breui soluturos ostendunt: maiores uerò & diffusæ per

Bullæ cum febre.

matulam

matulam absq; ordine, dolores qui præcesserunt dissolui indicant. Quia uerò bullarum dolorem capitis significantium, aliæ per totam coronam urinæ disseminantur, & capitis totius dolorem innuunt: aliæ per dimidiam tantum coronam sparguntur, quæ medietatis ipsius capitis dolorem arguunt, sed quantus dolor ille fuerit ex coloribus discendum. Colores igitur ipsius coronæ urinarum si peiores fuerint quàm qui sunt substantiæ urinarum bene habentium, malos iudicabimus, et eò magis quo peiores apparebunt. Vrinæ colo[...]

Vrina male olens cum malis contentis & substantijs, corruptionem & mortificationem corporis totius indicat, nisi forte pus subciderit, quod possit natura expelli. Quantitatem putrefactionis atq; qualitatē humorū arguunt, tum substantiæ urinarum tum contenta. Quinetiā si collicamina contigua urinis innatent, et areneæ ueluti apparuerint, id malum est, quia renes læsos uel corpus non absq; collicatione præ se ferunt. De urinis citra hypostasin & ipsarum causa quædam in his quæ præcesserunt, significauimus. Atq; huiusmodi urinæ in sanis corporibus cruditates et opilationes ostendunt, quæ si in longū tempus protrahantur facile ab ægritudine, eum qui tales excernit, corripi indicia sunt. Itaq; febrium deficientium tertianæ inquam quartanæ et emphemerinæ ab Vrina male olens.

opilatione, cruditate, & humorum multitudine ipſas accendentium generantur: atq; in initijs urinæ frequentius abſq; hypoſtaſi cernuntur, ut alibi diximus. Ab his igitur ſumpta coniectura præuidere poterimus morbi longitudinem. Oportet enim à diebus cruditatis coniectare tarditatem ac diſtantiam remiſſionis atq; ab initio concoctionis præuidere celeritatem criſis ſeu iudicij. Rurſus corde, corporis humani parte præcipua, ad calidum præter naturã alterato, febris excitatur: & urinæ fiunt ſubrubeæ, rubeæ uel uineæ. Pulmo ſi præter modum incaluerit, primum aureas, deinde ſi creuerit calor, urinas rubeas, fuſcas, ſeu uineas cum mala ſpiratione, ſiti, linguæ ſiccitate & nigritia efficit. Frigiditate uero ſi affectus ſit pulmo ipſe, reſpirationes primum erunt tardiores, poſtea etiam pauciores & abſq; ſiti: & aërem quem ſpirant frigidum ſentiunt. horum urinæ ad albedinem ſed non uehementer tendunt, nam pulmo membrum calidum eſt, quo uel parum ad frigidum alterato urinas albas producit. Hepar ſi à calida intemperatura fuerit affectum urinas aureas & ſubrubeas producit. Eius ſi cauæ partis inflammatione laborent, tum ſitis adeſt, & uomitus ſæpius excitatur. Porro ſi hepar intemperatura mediocriter frigida laboret, urinæ profluent ſpiceæ & ſubſpiceæ: Aucta uero ſi fuerit frigiditas urinæ apparebunt albæ, cum

Cordis ad calorem febrilem alterati, urinæ,

bæ, cum quadam interdum craßitudine. Stomachi intemperatura calida qui laborat, id per urinas non facile cognoscitur, sed frigida intemperatura ipsius, urinas albas reddit: calidior uero aureas & croceas. Lateris dolores urinæ initio subrubeæ, deinde rubeæ & uineæ indicant. Septum transuersum à calore exiguo, spirandi difficultas non adest, et urinæ tenues sunt, interdum etiam conturbatæ & crassæ Similes eueniunt urinæ in renibus & uesica affectis. Inflammato podice & hemorrhoidibus absq; ratione retentis, præsertim si multo tempore sanguinē profundere soleant, et in multum sanguineis, tales erunt urinæ quales in retentione menstruorum. Cum manus aut pedes affecti fuerint, & corpus per se aliâs sanum sit, urinæ mediocriter alteratæ ad eam morbi naturam qua ægrotabunt. Non ignorandum tamen membra calidiora facilius à causis calidis alterari & conuinci, quemadmodum frigida à frigidis. Præuidere oportet urinarum mutationes siue ad bonum, siue ad malum, & utrum longiore tempore fiunt, ita arguunt ægritudinis tempus multum protrahi. ut si primo die urinæ concoctæ apparuerint, tertia uel quarta ægritudo soluitur. Quod si secunda uel tertia concoctæ fuerint, ægritudinis solutionem ad septimum usq; peruenire solet. In ægritudinibus acutis urina quæ in morbi uehementia excernitur multo

 peior

peior apparet, quàm quæ temporibus remißionis. Morborum seu ægritudinum motiones tardiores & moderatiores si fuerint, temporis processu ægritudinem solui iudicabimus, modo uirtus constet: si uero ipsæ motiones seu paroxysmi concitatiores & in morbis acutis nullaq; appareat concoctio, non paruus aderit metus ne defatigata uirtus propriam actionem amittat, præsertim dum in urinis concoctio non est. quamobrem pronunciandum periculum. Hæc de urinis, quæ quidem ut succorum qui in uasis sunt, qualitatem indicant, ita sudor aliáq; per uniuersum animalis habitum apparentia, eos qui illic sunt affectus, demonstrant, quemadmodum Galenus libro 4. sanit. tuend. scriptum reliquit.

Excernuntur & sabulosa quædam per urinas, quæ uel renes uel uesicam male affectam denunciant. Plura quoq; in commentarijs quos super Hippocratis aphoristicas sententias edidi, habentur ad hoc nostrum institutum maxime conuenientia, & quibus compendiose à nobis tradita non suffecerint. Actuarium quem sum breuiter imitatus, perlegant, uel Georgium Vallam Placentinum, aut Bartholomeum Montagnanã, Gordonium & reliquos. qui de urinis, et alijs eiectionibus in commune, aliquid ediderunt. Iam uero sequentib. schematis summatim ad memoriam complectamur, quæ præcesserunt.

Vrina

VRINA cognoscitur.

- Colore
  - Albo sub quo comprehenduntur.
    - Crystallinus, Niueus.
    - Aqueus, Lacteus.
    - Glaucus, Charopus.
    - Sub palidus, Subspiceus.
    - Palidus, Spiceus.
  - Aureo seu rufo unde.
    - Subflauus.
    - Subcroceus.
  - FLAuo post quē
    - Subrubeus, bolo armeno seu lemnij sigillo similis.
  - Rubeo et puniceo cui succedunt.
    - Vineus, uino nigro aut hepatis colori similis.
    - Passeus, uinum coctum aut cerasi fructum ad nigredinem perductum referens.
  - Nigro quem sequitur.
    - Venetus, ex puro albo & nigro æqualiter confusus.
    - Viridis, smaragdi lapidis colorem repræsentans.
    - Oleacus, ex olei similitudine dictus
    - Liuidus, plumbi similitudinem habens.
- Cōsistentia.
  - Tenuis.
    - Imperfectam cōcoctionem simplicē quamlibet intemperaturam caloris natiui imbecillitatem. — Indicat.
    - Cruditatem Iecoris & renum obstructionem.

*

* Crassa et turbulenta.
- Humorem crudum & frigidum,
- Item, Excessum materiæ seu humorũ in uentriculo, intestinis, iecoris parte caua.

Mediocris hæc optima est, ut quæ nullum patiatur excessum.

Quantitate:

Plurima ut
- Ex multis cibis humidioribus & largiori potu.
- Medicamentis urinam prouocantibus.
- Intemperie calida circa renes, ut in diabete.
- Alui siccitate.
- Hydrope, præsertim anasarca.
- Retentione reliquarum uacuationum.

Pauca ut
- A siccitate ciborũ, & potus paucitate.
- Vehementi exercitio.
- Humorum, alimentorum, pharmacorum, crassitie, uiscositate, lentore & tenacitate.
- Copiosa uentris deiectione.
- Febris uehementia.
- Expultricis renum facultatis imbecillitate.

*

Conten-

* Cōtentis
- ὑπόστασις, quæ in fundo matulæ. — Tenuia. — Multa.
- ἐναιώρημα, æquis ſpacijs in medio altitudinis conſiſtit. — Craſſa. — Pauca.
- νεφέλη, in ſumma urinæ ſuperficie natat. — Mediocria. — Inter utranque media.

Præter iam dicta adſunt colores uarij, utpote albi, nigri, uirides, et qui ſub ipſis ſunt. Similiter & circulus ille ſuperficiarius, quem coronam appellant, in cuius ambitu ſpumæ, ueſiculæ ſeu bullæ apparent, quarum ſignificationes antea diximus, adhæc pus pinguedo quædam, & interdum uermiculi, ex intenſa putrefactione. Nunc concoctionis & cruditatis ſigna breui ſchemate oſtendamus.

Cocta.
- Colore
  - Subruffo.
  - Subflauo.
- Conſiſtentia mediocri.
- Contento.
  - Albo.
  - Leui.
  - Aequali.
  - } In fundo apparens.
- Odore non ingrato.
- Excretione tempeſtiua.

Vrina

Vrina appa= ret uel

- Cruda tantũ.
  - Colore
    - Albo.
    - Palido.
    - Flauo.
    - Subrubeo.
  - Consi= stentia.
    - Tenuiore.
    - Craßiore.
  - Cõten= to.
    - Subalbo.
    - Palido.
    - Et aliquantum in= æquali. — In urinæ me= dio.
  - Odore non admodum fœtido.
  - Excretione intempestiua.
- Cruda & ma= ligna si mul.
  - Colore
    - Viridi.
    - Liuido.
    - Nigro.
  - Consi= stentia.
    - Tenuißima.
    - Craßißima.
    - Oleoginosa.
  - Conten to.
    - Viridi.
    - Liuido.
    - Nigro.
    - Multum in= æquali. — In superiore parte.
  - Odore prorsus fœtido.
  - Excretione omnino intempestiua.

Hæc de urinis et earum cognitione. multa etiam in commentarijs, quos scripsi super Hippocratis aphorismos adduxi.

DE SVDORE. CAP. III.

SVDOR tenuißimum est excrementum, quod partim ab insito calore partim uiolento motu erumpit. Huiusmodi excrementum ex alimento membrorum abundat, & succorum qui toto corpore insunt qualitatem prodit, nõ secus atq; urina eorum duntaxat qui in uasis continentur. Sudorum differentias Hippocrates in sequentem modum proposuit. Sudores inquit optimi sunt in omnibus acutis morbis, quando in diebus decretorijs fiunt, & integre febrem soluunt. Boni uero quicunq; ex toto corpore procedentes fecerunt ut homo facilius morbũ ferat: si uerò nihil horum præstiterint inutiles sunt. Peßimi uerò sunt frigidi & circa caput, uultum, & ceruicem tantum: hi enim cum acuta febre mortem prænunciant, cum leuiore uerò morbi diuturnitatem. Ex his distinguere sudores etiam docet, ut si in die decretorio seu critico fiant & integre morbum soluant, erumpantq; è mole corporis uniuersa, optimi erunt. Præterea sudor qualitates humorum in corpore peccantium prodit, idq; dignoscitur cũ quid ex sudore in os sponte defluit, percepto uidelicet sapore. atq; ipsum qui ægrotat sudorem suum gustu attingere interdum iubemus, quo certius internoscatur. At fœtidus & male olens sudor humorum in corpore corruptorum arguit. Siue igitur criticus fuerit sudor

Progn. xxiij lib. j.

siue

ſiue ſymptomaticus humiditatẽ ſuperfluam euacuat. Sed in his qui ſecundũ naturã ſe habent, ſi copioſi defluant ſudores alimentorum præſertim humidorum, abundantiam uel humorum repletionem arguunt. Illis uiuendum parcius: iſtis purgatio conueniet. At uero ſudores qui per morbos exeunt nunquam cohibendi, niſi exceſſum habeant, quos Græci διαφορητικοὺς appellarunt. Et quibus arida & dura cutis obtenditur abſq; ſudore morituros docet Hippocrates: contra uero quibus laxa & rara, cum ſudore multo uel pauco iuxta corporis raritatem, excrementorum tenuitatem & abundantiam necnon facultatis retentricis imbecillitatem. Adhæc ſudores in morbis frigidi calidis deteriores: inde colligitur quod illi ob materiam copioſam & craſſam diuturnos ac ſolutu difficiles morbos ſignificent: Contra uerò calidi, qui ad exitum facilem habent materiam unde citius ac facilius affectus curatur. Plura in noſtris commentarijs Aphoriſmorum ſecundum Hippocratem quæ hoc loco repetere non licet, nedum plurima quæ apud authores ſparſim habentur, ut qui artem medicam compendioſe inſtituam. Tandem ſudores optimos, bonos, peßimos, malos & nihil promouentes hoc ſequenti ſchemate cognoſcemus.

Aph. LXXI. libro VI.

Sudor

- Sudor.
  - Calidus.
    - Ex toto corpore.
      - Integre morbum ſoluens, optimus.
      - Morbum imminuens, bonus.
    - Ex parte corporis.
      - Faciliorem. / Difficiliorem. } Morbũ reddens. { Bonus. / Malus.
  - Frigidus.
    - Ex toto corpore peſsimus.
    - Ex capite, collo, ceruice, malus.

Inutilis ſudor is dicitur qui neutrum horum facit, utpote qui non exit à toto corpore neq; morbum imminuit. Exire à toto corpore expultricis facultatis robur oſtendit, ut in febribus: exire uero à parte aliqua tantum, eius imbecillitatem demonſtrat. Vnde Hippocrates. Qua parte corporis ſudor, ibi morbus. Aph. XXXVIII. lib. IIII.

DE EGESTIONIBVS. CAP. IIII.

ALVI deiectiones bonæ optimæq; ſunt molles & cohærentes, ſubruffæ nec admodum graue olentes, & eo tempore quo ſecunda ualetudine conſueuerunt, redditæ: atq; proportioni cibi ingeſtæ reſpondentes: malæ uerò & præter naturam duræ, diuulſæ, aqueæ liquidæ, albæ, ruffæ aut flauæ, croceæ, ſpumoſæ, uirides, æruginoſæ, nigræ, liuidæ: quæ tanto peiores, quanto ab his qui ſecundum naturam excernuntur diſtare apparent.

Mollis & constans siue coniuncta deiectio, ualidam concoquendi uim ac digestionem optime fieri ostendit. Coloris non meminit Hippocrates, sicuti etiam Galenus testatur. Et quæ præter modum fœtidæ sunt putrefactionem & humorum corruptionem indicant. Cum enim consueto tempore egeruntur uim expultricem ac propulsoriam bene ualere ostendunt: Contra uerò si consuetam horam anticipauerint facultatis retentricis imbecillitatem, si tardius, coctricis arguunt. Celeris interea deiectionis, ciborũ inseparabilia symptomata sunt excrementorũ humiditas, alimentiq; per corpus imminuta digestio. Præterea deiectiones cibi ingesti proportioni respondentes nullam causam habent superfluitatum in intestinis. Neq; præter naturam statim erunt, si aliquantum citerius natura atque consueuerit exoneretur. Subruffum colorẽ naturales deiectiones suscipiunt, ob modicam bilis portionẽ, quæ ex iecore in utrumq; uentrem decumbit: E diuerso præter naturam deiectiones erunt, si bilis sincera aut multa in has partes defluxerit, unde ruffa aut flaua redderentur. quod si nulla bilis permeet ad intestina, ut in morbo regio, candidæ erunt feces. Duras & asperas à liquidis & aqueis separantur, quæ tum æquales hoc est, molles & cohærentes non sint, malas ac præter naturam esse iudicamus. Nam ut aquosæ cruditatis indiciũ præ se ferunt, ita præter modum induratæ adustionem,

Lib. j. de Crisib. Cap. xj. & in Com. prog. xiij. lib. ij.

humiditatisq; absumptionem. Aquosa admodum aut candida aut multũ crocea aut spumās omnis deiectio, mala ab Hippocrate censetur. similiter si exigua, glutinosa, cādida, et quæ pinguedine absumpta ab igneo calore etiā non multum maligno, mala est: ueluti subcrocea. Spumosa deiectio spiritũ flatuosum tenui cuipiā humori permistũ: quandoq; caloris copiā indicat. Virides et æruginosæ excretiões, bilis æruginosæ sunt indiciũ: sed exitiosior adhuc est nigra et liuida, opima atq; fœtida. Nigra siquidē deiectio ab atra bile sincera tingitur. Si autē liuidũ quoddam in excremento apparuerit, ubi non fuerit tale aliquid intus assumptum, partium internarũ frigus ingens ac ueluti mortificationē indicat. Quod si pingue aut uiscosum, ubi non fuerit tale aliquid assumptum, pinguis colliquationis quæ ab ignito fit calore, est præsagium. Interea pingue quod est in excrementis ex pinguedine fit liquefacta: uiscosum uerò ex solidis animalis partibus contabescentibus, ob id multo grauius quàm quod à pinguedine fit. Quod autem uehementer fœtet, si ex cibo non acciderit, uehementem putrefactionē ostendit. Corruptelam cibi necessario sequitur fœtor, non necessario mordicatio & inflatio sicuti Gal. lib. 1. de sympt. causis indicauit. Versicolores deiectiones diuturniores sunt et exitiales, quæ quidē multas affectiones indicāt et multo tempore egent ad concoctionē.

nam ſimplex affectus facilius concoquitur & minus eſt quam multiformis periculoſus. Si flatus abſq; ſonitu & crepitu excernatur melior eſt quàm cum ſonitu, peſsimus tamen ſi retineatur ac reuoluatur. Nam retentus, hominem dolere aut delirium pati (ſi non ſponte laxetur) ſignificat, retentus uero ſpiritus flatuoſi copiam aut anguſtiam orificiorum ſeu meatuum. Non negligenda erit ciborum ingeſtorum tum quantitas tum qualitas, ueluti ſi multa, pauca, pinguia, uiſcoſa, & huiuſmodi. Nam tales interdum fiunt egeſtiones qualis fuerit ciborum natura. Interdũ etiã inteſtina ob imbecillitatem defluuium patiuntur uel ex uermibus aliaúe occaſione. Atq; melius eſt ſi natura pariter cũ cæteris excrementis deorſum lumbricos ac teretes expellat, quàm ſi ſurſum ferantur.

Alui deiectio.
- Bona.
  - Mollis, Compacta.
  - Tempore quo per ualetudinem reddita.
  - Pro ratione cibi ingeſti.
  - Colore ſubruffa.
- Mala.
  - Dura & aſpera.
  - Diuulſa ſeu liquida.
  - Tempore non conſueto reddita.
  - Pinguis, Viſcida.
  - Fœtida, Flatuoſa.
  - Spumoſa, Varia.

Colore: Ruffa, Viridis, Nigra, Liuida.

De

DE SPVTIS ET SVPPVRATIONIBVS. CAP. V.

SPVTA ſeu excreationes in thoracis & pulmonum paßionibus potißimum conſiderantur, in quibus dum nihil expuitur, morbi incipientis atq; ſummæ cruditatis eſt nota. Deinde augmentũ ſequitur poſt educta humida quædam exquiſitè cruda, ſubobſcura adhuc & incompacta, quæ finem primæ morbi partis, principium dictæ, indicat. Poſtea concocta quædam ſed pauca educuntur & expuuntur: mox plura & ad eductionem faciliora, et tunc morbi incrementum inſtat. Demum concocta, plurima etiam facilimè excreantur, quo tempore ad uigorem ſeu ſtatum perueniſſe morbum cognoſcitur. Poſtremo abſolute cocta ſine ulla moleſtia excreantur, ſed pauciora & abſque dolore, ſpirandi difficultate: & tunc manifeſta morbi declinatio percipitur. In thoracis igitur ſeu coſtarum ac pulmonum doloribus, primum ſputa, deinde urinas inſpicimus. Atq; in principio morbi dictarum partium optimum erit, ſi ſputum celeriter, facilè, abſq; dolore & uirium deiectione, non ſyncerum, ſed cui admixtum ſit flauum, educatur. Mitiora ſunt ſputa ſanguinea: glutinoſa uerò & craſſa difficulter excurrunt, longioriqúe tempore afficiunt. Spumoſa

fluxionem pituitosam aëreæ substantiæ mixtam indicant, ex his enim quælibet spuma consistit. Sin ipsa materia admodum tenuis & aquosa fuerit, uix educi potest, ut quæ circiter pulmones circumfluat. Itaq; incrassanda modicè, ut facilius expecteretur. atq; in omnibus morbis pulmonum defluxio & sternutamentum, siue præcesserint siue superuenerint ac sequantur, huiusmodi malæ affectiones, periculum portendunt. Præuenientes quidem pulmones malis humoribus replent: sequentes uerò morbosi pulmonis affectus seu causa potius existunt, & capitis affectionem arguunt. Iam uerò quæ bona, quæue mala sputa habeantur, quæq; securitatem et auxilium prænuncient, aut contra, exponamus.

Sputum igitur cruentum cui paululum sanguinis admistum est, in morbi principio pulmone inflammato periculum abesse, minimeq; timendum indicio est. Veruntamen si ad septimum usq; diẽ longioriue temporis spacio tale appareat, non est adeo tutum: uitiosum etiam ruffum & quodcunq; cum tussi multa nec adeo commistum expuitur, sicuti cruentum syncerũ.

Album, uiscidum & rotundum sputum, inutile est, pituitam enim assatam significat. Viride & spumosum mali morbi sunt indicia. Interea omnis humor (excepto sanguine) malam indicat affectionem. Si syncerus fuerit ueluti flauus, cui serosus humor

mor adaſſatus adueniens, croceus apparet, & rubiginoſus ubi is uehementer aſſatur. Nigrum ſputum apparet quoties humor rubigineus uehementer aſſatus eſt, uel ubi craſſus ſanguis ſimiliter exiccatur: aut refrigeratione immodica & natiui caloris extinctione, atq; huiuſmodi colores crudi ſunt & ſuapte natura mali: ſubflaua uerò ſputa atq; ſubruffa, leuiter ſpumantia, tenuia, ſolam cruditatẽ: malum uerò nullum inſigne denunciant: ſed flaua ſyncerè, ruffa, uiridia, ſpumoſa, uiſcida, rotunda, & adhuc magis nigra, mala ſunt: ſicuti omnia quæ dolorem non mitigant.

DE SVPPVRATIONE.

DOLORes in iam dictis partibus nempe circa thoracem & pulmonem quos neq; ſputi purgatio neq; ſoluta aluus neq; ſanguinis miſsio, neq; medicamentum, neq; uictus ratio, ſedare potuit, ſcire licet eos ad ſuppurationẽ peruenire. Hæc enim uia eſt media inter breui ſolubilem affectum, & incurabilem quem ſuperaturum expectamus. Suppuratio erumpens ſputo adhuc bilioſo apparente, ſiue bilis ſeorſum, ſiue una cũ pure expuatur, admodum pernicioſa eſt: præſertim ſi à die morbi ſeptimo pus ab eiuſmodi ſputo procedere inceperit, Timendum namq; eſt ei qui ſic expuit, ne decimoquarto die moriatur: niſi aliquod ſalutiferum indicium interueniat.

Mala suppuratio (sputo bilioso adhuc apparente) cum pure: peior sine pure: peßima si in præcipua sede fatiget. Subijciamus (inquit Galenus) ægrũ excreare purulenta septima die, ubi biliosum aliquid, aut illud solummodo sine materia purulenta, atq; in eo esse alia omnia media ab ætate, natura, tempore, terra ac propterea facultate: ita ut nec facultas uehementißima neq; debilißima habeatur, præterea temperamentum ægri nec optimè constans sit, nec deterrimè, sicuti tempus, regionem, uictus rationem, ætatem ipsius ægrotantis. Simili ratione in unoquoq; signorum genere quæ media sunt ægro inesse subijciantur: ipsum sperabimus quartodecimo die moriturum, quo die medius mortis impetus censeatur. Accedentibus uerò bonis indicijs, ultra hoc tempus processurum mortis aduentum: malis uerò citius: si quod autem primi ordinis accesserit indicium, quinto aut septimo die è uiuis discedet, & nequaquam ad undecimum diem poterit deuenire, idq; magis quo plura erunt talia indicia. Nec aliter ad sanitatem bona signa quàm ad mortem mala se habent. Permistis uerò inter se signis exitiosis & salubribus, ex his quæ superabunt erit iudicandum. Item si senex, debilis, tempore, loco, uictus ratione consideratis decumbat, citius mortis aduentum (indicatione ex uiribus non neglecta)

glecta) expectabimus, quæ maximè expulsu digno=scuntur. Bonæ spei signa sunt, si æger bene susti=neat morbum, facile spiret, imminuatur dolor, citra difficultatem excreet, non sit immensa sitis, sitq; æqualiter corpus molle & calidum. Adhæc si urina, alui excrementa, somnus, sudores, mali nihil præ se ferant: contra uerò si intolerabilis morbus fuerit, & halitus magnus & frequens, nec mitigatus dolor uixq; sputum haberi queat, sitis uehementer cruciet, febris inæqualiter corpus afficiat, uenter & latera uehementer caleant, fronte, manibus & pedibus fri=gore affectis, atq; urina & alui excrementa, somni, sudores, quicquid horum iam dicto sputo superue=nerit periculum adesse atq; nono aut undecimo die ægrum moriturum significat, nec undecimum quar=tum posse attingere. Ex his igitur signa tum bona tum mala perpendere licet, & futura prædicere. Si cui conualescendum, inquit Galenus, omnia bona indicia adsint necesse est: si uerò moriendum unum malum sufficere poterit, solummodo enim iudicatur citius uel tardius ægrum moriturum, quo plura pau=cioraúe bona uel mala indicia constiterint.

Signa bonæ spei.

Reliquæ autem uomicæ ex magna parte rum=puntur, sed quædam uigesimo die, aliæ trigesimo, aliæ quadragesimo, nonnullæ ad sexagesimum usq; perueniunt. Obscurum est inquit Galenus de

quibus hoc sensu Hippocrates dicat. fortasse de ijs quæ in alijs partibus præter thoracem & pulmonem uomicam patiantur: fieri etiam potest ut de ijs agat, sed non similiter affectis, possunt enim differre inter se temporis spacio, uel loci affecti nocuiue humoris natura. Sedes enim calidior ac siccior citius suppuratur: frigidior uerò ac glutinosior tardius: & sic de humoribus intelligendum. Itaque suppurationis initium obseruare conuenit ab eo die quo primum quis aut febricitauit, aut inhorruit, aut pro dolore grauitatem et pondus illius partis sensit quam antea dolor afficiebat, nam talia in suppurationum principio accidere solent. Ab hoc igitur tempore usque ad iam definita spacia, uomicarum eruptiones expectandæ.

Tria igitur indicia numero sunt eorum quæ dixit, pondus, rigor, & febris, quæ multo quàm antea uehementius affligat. An uerò si alteram duntaxat partem uomica occupet, ex sequentibus notis licebit intelligere, ueluti si alterum latus dolore cruciatur alteroq; calidius sit, si in partem sanam aliquis decubuit interrogatus, onerari eam ueluti ex pondere aliquo respondeat, quibus cognitis in eo latere suppurationem esse conijciemus, cui grauitas incumbit.

In pulmonia, quoties ad suppurationem uerti-

tur

tur, in utraque parte potius quam in altera colligitur pus.

In pleuritide suppuratio potius in altera quàm utraque parte, quia materia alterius partis transmeare in alteram non potest, propter membranulam quæ thoracem intercipit. Suppuratos omnes deprehendemus ex his quæ sequuntur, nempe si febris non dimittit, & interdiu leuior sit increscatq; noctu: si multus sudor oriatur, tußiendi adsit cupiditas, sed nihil penè excreetur: concaui fiant oculi, & male rubentes: ungues in manibus curuentur, digiti & maxime summi caleant, pedes tumeant, adsint ciborum fastidia & pustulæ toto corpore nascantur.

Hæ sunt diuturnarum uomicarum notæ: quæ uerò breuiori tempore cessant principio solent apparere & spiritus maiore cum difficultate trahitur.

Cæterum purulenti dicuntur quicunque intus in corpore pus obtinent, sed potißimum qui in thorace à pulmone, quod nisi cito educatur, tabidi intereunt febricitantes: sicuti accidit omnibus hectica febri laborantibus. Illis sudores eliciuntur continui, propter uirium debilitatem, tußiunt sed nihil expuunt quod ad sanitatem recuperandam sufficiat, unde purulenti euadunt. Cur autem nihil expuant una causarum est puris ipsius lentor & craßities: altera

Purulenti qui dicantur.

alterа membranæ pulmonem continentis densitas: tertia debilis & inualida ægrotantis facultas. Oculi concaui redduntur etiam in omnibus productis febribus, sed potißimum in his quæ perspicuè siccant, genæ rubent propter tußim & pulmonis inflammationem: ungues incuruantur quia firmans eos utrinque caro consumitur. Digiti quanquam in morbis diutinis sæpius refrigerentur, tamen per omnes hecticas febres calidi permanent non in partibus exterioribus, sed interioribus: ubi caro magis abundat. Procedente tempore pedes eorum intumescunt totius corporis extinctione ab extremis partibus incipiente, ut quæ à corde, caloris fonte, longißimè absint: cibum fastidiunt, appetendi scilicet facultate cum alijs extincta: pustulæ quædam erumpunt, idque errodente sanie in corpore collecta.

Celeriorem tardioremúe eruptionem conijciemus, si ab initio tußis fuerit & spiritus difficultas, atque sputi excreatio, tunc enim uomica intra uigesimum diem erumpet: si uerò non adeo uehemens fuerit dolor cæteraq; illi ex proportione respondeant tardius ruptura sequetur. Si igitur dolor spirandi difficultas, tußis & excreatio continenter & uehementer infestent, celeriorem eruptionem ostendunt: si uerò non continenter nec uehementer

affli=

affligant, diuturniorẽ. Extra periculum sunt, quibus eodem die quo eruptio facta est, febris conquieuit, desieruntq; urgere cibi fastidium & sitis, aluus exigua quædam & figurata reddit, pus album, leue simplici colore & sine pituita: atq; sine dolore leuis est tussicula, qua nonnihil semper eijcitur. Hæ sunt notæ perquam salubres, quibus celeriter hominem à morbo liberari colligimus. Contra uerò periculum est dũ non quiescit febris aut post quietem repetit, si adest sitis & cibi fastidium, si uenter est liquidus, si pus liuidum aut palidum, si nihil nisi spumantem pituitam æger excreet, itaq; seruari non possunt quibus hæc omnia contingunt, quibus uero non omnia, alij quidẽ moriuntur, alij uerò post longa temporum interualla sani euadunt.

- Sputũ aliud.
  - Coctũ.
    - Absolutè.
      - Album, Leue, Aequale.
      - Et quæ sine molestia excreãtur: ut Crassa, Glutinosa.
    - Imperfecte.
      - Subflauũ, Subruffũ.
      - Et quod difficilime expuitur: ut Tenuia Aquosa.
  - Crudũ.
    - Tenue, Aquosum.
    - Exquisite coleratum, ad concoctionem et expulsionẽ ineptũ.

DE VOMITV. CAP. V.

PERquàm utilis est uomitus qui bilem pituitæ mixtam habet, ſi neque craßitie neque multitudine admodum excedat, nam uomitus ſynceræ pituitæ bilisúe, periculoſus est. Hippocrates nullum humorem ſyncerum uult apparere, ſed eos inter ſe quodammodo permiſceri. Bilioſus enim ſyncerus (cui permiſtus opponitur) caloris copiam: pituitoſus uerò frigiditatis exceſſum indicat. Quinetiam ſyncerus humor pituitoſus redditur, cum propter frigiditatem quaſi concretus apparet. At bilioſus humor propter exuperantiam caloris tanquam aſſatus est, ſed calidum euaporat. Viridis aut liuidus aut niger uomitus, horum quilibet periculoſus est. Quid autem huiuſmodi colores portendant, in præcedentibus, ubi de urinis ſermonem fecimus, ſatis dictum fuit. Tales igitur colores ac reliqui præter naturam exitiales ſunt, indicant enim multas ac difficiles in corpore contineri affectiones. Ad ultimum peruentum eſſe uomitum liuidum creditur, præcipue ſi malus odor in hoc ſit: putredinem enim cum extinctione indicat: atq; fœtores in uomitu malos eſſe, in prognoſticis Hippocrates teſtatum reliquit.

Vomitus.	Vtilis.	Biliofus. Pituitofus.	Nō fyncerè.	Eductus.
	Inutilis	Sanguineus. Biliofus. Pituitofus. Atrabilarius.	Syncerè.	

Caufas ex quibus uomitus excitetur in commentarijs noftris Aphorifmorum adduximus, ueluti ex cibi quantitate, aut mala quantitate facultatis concoctricis imbecillitate. Et materia quæ peccat non in fubftantia uentriculi, in qua fingultus, fed in eius capacitate continetur.

DE PVLSV. CAP. VII.

PVLSVS eft actio propria cordis primò, deinde arteriarum quæ diftentione & contractione à facultate uitali mouetur. Corporibus quidem pulfus ineft, ad conferuandam temperiem caloris natiui, & fpiritus animalis qui eft in cerebro generationē, atq; motus ex diftentione et cōtractione διαστολὴν & συστολὴν Græci dicunt, cordi et arterijs duntaxat eft proprius. Caufæ pulfuū effectrices funt tres numero, prima eft facultas cordi infita, uitalē nominant: reliquæ duæ inftrumētales funt, utpote cor et arteriæ, ijs diftentionē et contractionē facultas uitalis efficit. Caufæ pulfuū effectrices.

efficit. quæ licet arterijs ingenita non sit, à corde tamen in ipsarum tunicas promanat. Finalis causa naturalis est calor, quem Diastole refrigerat & reficit & præterea spiritus generat: Systole uero tantum fuliginosa recrementa expurgat. Adhæc pulsus uel simplices sunt uel compositi. Simplicium species quantitate & qualitate metiuntur: Quantitate ut magnus, mediocris, paruus: Qualitate uerò quadrupliciter, aut enim secundum motum, unde celer, mediocris, tardus: aut secundum uirtutem, & inde uehemens, mediocris, debilis: uel iuxta qualitatem arteriarum, ex quibus mollis, mediocris, durus. Harum omnium differentiarum pulsus compositi etiam dicentur, ad simplices relati: & simplices ad compositos: ut pulsus magnus simplex erit per se, & ratione compositorum ut dixi: compositus uerò quatenus ex longo, lato, alto constituitur, sic paruus pulsus ex breui, angusto, humili constitutus, compositi appellationem sortietur. & sic de alijs in suo genere. Varia enim est ac diuersa compositorum pulsuum connexio iuxta diuersas simplicium complicationes. Et qui iudicare uel prædicere ægritudinum accidentia cupiet, is pulsuum differentias, postea urinarum teneat est necesse. Similiter egesta, respirationes, faciem, corporis decubitum atq; sermonem consideret. Pulsus enim primum uim caliditatis aut frigiditatis

Pulsus duplex.

in spiri-

in spiritibus indicant: urinæ demonstrant quantitatē & qualitatem humorum: egesta uentris concoctiones & cruditates ostendunt: oratio testatur actionem uirtutis rationalis: qualitates insuper decubitus totius corporis ac faciei affectus ut Hippocrates *&* Galenus *indicarunt. Pulsus interea obscurum sentitur in carnosis corporibus: Clarius uerò ac manifestius in emaciatis, qui carne non admodum multa teguntur. Arteriæ etiam quæ in temporibus et carpis parte interna, atq; tarsis pedum perpetuo motu sensili sunt præditæ, sic quæ post aures & in parte brachij interiore ac nonnullæ aliæ sed obscurius, præsertim quæ pleniori carne operiuntur. Verum quæ in carpis, commodè depræhenduntur: ut quæ secundum rectitudinem sint locatæ, et locus carne sit denudatus. Sed nunc de quantitate dilatationis. Tangenti itaq; arteriam inquit Galenus, sentietur in omnem dimensionē dilatari. Dimensiones autem corporum omnium tres sunt numero, utpote in longum, latum, & profundū. At cum animans secundum naturam se habet, quæuis arteria in eo admodum moderatè dilatatur: cum autem præter naturam habet, interdum secundum quamlibet dimensionē partim minuitur pulsus, partim exuperat: ob id memoria tenere oportet pulsum, qui prius naturalis erat, ut si is qui præter naturam auctus latitudine sentiatur, latum: sin longitudine,*

pulsus quid primo indicent

Corporum dimensiones tres.

V longum:

longum: ſin profunditate, altum appellemus. Ad proportionem & ijs contrarios (qui uidelicet naturalib. ſunt minores) anguſtum, breuẽ, atq; humilem uocabimus. Iam uerò de motus qualitate ſeu differentijs, quæ quidẽ in percuſsione pulſuum quatuor reperiuntur, uidelicet celeritas, tarditas, mollities, durities. Celeritas motus eſt quidã concitatus: tarditas uerò exolutus, interdum pulſus eſt uehemens, interdũ languidus, ille contactus uiolenter pellit: hic inualide. Cæterum mollities & durities tunicæ ipſius arteriæ ſunt qualitates, ex hac, arteria carnoſior ſentitur, et ex illa ſiccior. Nunc de tempore quietis dicendum. Quinta differentia eſt in intermiſsione, quæ inter percuſsiones intercedit, cũ ſcilicet arteria dilatatur ac contrahitur. Eſt enim percuſsio cũ arteriæ motus tactui noſtro occurrit: Intermiſsio autẽ quando inter duas percuſsiones intercedit ac remoratur, unde frequens, rarus uel inter utrumq; medius pulſus iudicatur. Frequẽs pulſus dicitur cũ quietis tempus breue fuerit: rarus cum diuturnũ. De æqualitate & inæqualitate nunc ſermo quàm breuiſsime inſtituatur. Aequalitas igitur atq; inæqualitas in omnib. pulſuũ differentijs inueniuntur. Illa cũ uno tenore eodemq; ordine motuum fit conſecutio, in magnitudine, celeritate, uehemẽtia, frequentia. Inæqualitas uerò fit quando alius in magnitudine eſt inæqualis, alius in celeritate, alius in uehementia, languo-

Pulſuum motus qualitates.

Aequalitas atque inæqualitas pulſuum.

languore, frequentia. ſimiliq; modo in alijs. De pulſu ordinato & inordinato dicere nunc ordo exigit. Pulſibus idcirco æqualibus nonnunq̃ inæqualis intercidit, idq; multis modis. nam tres æquales quartus inæqualis ſubſequitur: aut quatuor, quintus. ſimili modo & in omni alio numero, nam quinq; æquales, ſextus inæqualis plerumque excipit: ac rurſus ſex æquales, ſeptimus inæqualis: in quibus certe omnibus æqualitas non ſeruatur, ob eam cauſam pulſus fit inæqualis. Series tamen certa ſeruatur, uocaturque ob id pulſus ordinatus. Accidit enim perpetuo poſt parem pulſuum æqualium numerum, unus inæqualis, qui tametſi æqualitatem deprauet, in ſingulis tamen periodis ſeriem quandam retinet: ſi uerò nulla ſeruetur periodus, pulſus eiuſmodi inordinatus uocabitur. Nunc de inæqualitate in pulſu. Accidit in uno pulſu inæqualitas, tum partibus arteriæ ſitu ac motu inter ſe diſsidentibus, tum cuiuſque pulſus motu ſibiipſi non conſentiente. Inæqualitas igitur in partium ſitu accidit, cum arteria ipſa ſurſum aut deorſum, antorſum aut retrorſum, dextrorſum aut ſiniſtrorſum traducta eſſe uidebitur. In motu autem cum arteriæ uelocius aut tardius, tempeſtiuius aut ſerius, uehementius uel languidius, tempore diuturniore aut breuiore, aſsiduè aut nihil penitus moueantur. In ſingulis partibus eſt inæqualitas,

æqualitas, cũ pulsus perspicuè est intercisus, è quorũ numero est δορκαδίζων, id est, caprarum more saltitans. Item cùm repetit, ex quibus etiam est pulsus δίκροτος, id est, bis pulsans. Adhæc cum motus celeritatem eandem non seruat, ut cum principio celerior in fine tardior: aut contra. Idẽ esto in uehementia & languore, magnitudine ac paruitate indicium. Non enim in duo duntaxat tempora motus distribuitur, sed in plura quod sensu distinguere possumus. Hæ simplices atq; in uno pulsu sunt inæqualitates. Nunc de pulsuum inæqualitate composita. Compositæ igitur fuerint inæqualitates, quatenus licuerit alteram alteri ac singulas singulis, aut unam pluribus, aut plures pluribus commisceri. quarum nonnullæ propriam appellationem sunt adeptæ. Quemadmodum pulsus uermicans qui fit uiribus iam dissolutis, sed aliquantum adhuc resistentibus: & formicans qui fit ob maximam alimenti inopiam, ut in hecticis.

Pulsuum inæqualitates compositæ.

Vermicans quidem cum arteria uelut reptantem uermem atq; fluctus instar subsilientem nobis representat, non autem tota ipsa uno tempore dilatatur. Quod si cum exigua dilatatione id accidat, uermicans: sin cum magna, fluctuosus simpliciter appellatur. Perspicuum autem est quod uermicans quoque languidus est ac frequens: Et qui languidus summè fuerit frequens ac paruus, is formicans dicitur: qui

tametsi

tametſi celeritatem præ ſe ferat, non tamen eſt re uera celer. Hecticus, ueluti febris, ita pulſus nuncupatur, quod nihil magnopere immutetur, ſed perpetuo ſui ſimilis, cohærens, ac nunquam ſolutus permaneat: utpote toto corporis habitu in febribus eiuſmodi ac pulſibus in ſtatum morboſum commutato. Hæc de pulſuum differentia ſummatim dicta ſufficiant, niſi quis ἀνακεφαλαίωσιν in ſequentem modum cupiat. Pulſus magnus fit cum arteria multum in longũ, latum & profundum diducitur. Longus cum in longitudinem duntaxat. Latus cum in latitudinem. Altus cum in profunditatem. Pulſus uehemens ualidè tactũ percutit: mollis in quo arteriæ tunica blanda ac tenera exiſtit: celer cum arteria in pauco tempore dilatatur. Frequens cũ pauco interpoſito repetit: Aequalis qui ſerie continua ſibi eſt æqualis. Ordinatus qui in ſingulis periodis eſt æqualis. At qui in una tantum percuſsione eſt inæqualis, ſimplex inæqualis dicitur ſeu in una percuſsione. Horum pulſuum qualitatibus contrarij ſunt, paruus, breuis, anguſtus, humilis, languidus, durus, tardus, rarus, inæqualis, inordinatus. Sed nunc de cauſis quæ pulſum immutant. Triplex eſt igitur mutationis pulſuum differentia (mutantur enim à qualibet cauſa) prima mutatio eſt naturalis, ſecunda non naturalis, non tamen iam præter naturam: tertia præter naturam.

Pulſuum triplex mutatio.

Viri in uniuersum mulieribus pulsum habent multò maiorem, uehementiorem, rariorem, paulo tardiorem. Qui natura sunt calidiores pulsum habent maiorem, celeriorem, ac longè frequentiorem, non multò tamen uehementiorem: sed qui natura sunt grandiores maiorē ac longè rariorem: non multo uehementiorem.

Pulsus iuxta ætates.

Per ætates quoq; mutantur pulsus, ut puero nuper in lucem edito, pulsus est frequentior: seni, rarior. Qui uerò ætate sunt inter hos media, ijs pulsus ad ꝑportionē respondent, prout scilicet proprius ad pueri aut senis ætatē accesserint. Maximus quidē inter ætates est constantium ætate ac uigentium pulsus, minimus autem senum, medius inter ipsos puerorum paulo tamen maior. atq; constantium uehementissimus: senum maximè languidus: puerorum inter ipsos medius. quibus ut celerrimus, ita seni tardior. in medio sunt qui alias ætates agunt.

Pulsus iuxta anni partes.

Per anni tempora etiam pulsus immutantur, ut Vere medio si anni tempora spectemus, pulsus sunt maximi ac uehementissimi: celeritate uerò ac frequentia moderati. Similiter & Autumno medio se habent. Progrediente autem Vere, magnitudo quidem & uehementia pulsus imminuitur, augentur tamen celeritas & frequentia. Aestate adueniente pulsus fiunt languidi & parui, celeres ac frequentes.

Autumno

Autumno progrediente magnitudo, uehementia, celeritas, et frequentia: pulſus ipſi imminuuntur. Hyeme accedente, pulſus in paruitatem, languorem, tarditatem ac raritatem mutantur. Porro ut Veris initium Autumno exitui, ita Veris exitus Autumni initio reſpondet: ſicuti æſtatis principium eius ipſius fini, & ſic de Hyemis initio cum ſuo fine intelligendum.

Per regiones etiam immutantur. In calidis admodum regionibus pulſus ſunt quales æſtate media, & in ualde frigidis quales media hyeme. In temperatis uerò quales Vere medio. Quæ autem inter has ſunt mediæ, ad proportionẽ ſe habent. Ex aëris quoque nos ambientis conſtitutionibus, quæ calidæ ſunt temporibus anni calidis, quæ frigidæ frigidis, quæ mediæ medij Veris temporibus ſunt ſimiles. Mulieribus uterogerentib. pulſus ſunt maiores, frequentiores ac celeriores: Cæteræ autem modum ſuũ naturalem retinent. Somnus etiam pulſum immutat, nam principio hunc minorem, tardiorem, rariorem, ac languidiorẽ efficit: procedente uerò tempore tarditatẽ ac raritatẽ adauget. Si diuturnior is fuerit, rurſus in languorem mutatur: ac paruitatẽ, tarditatem et raritatem retinet. Qui à ſomno ſunt expergefacti, protinus quidem ijs pulſus ſunt magni, uehementes, celeres, frequentes, ac quodammodo turbati. uerum non ita multò poſt ad mediocritatem reuertuntur.

Pulſus iuxta regiones.

Corporis temperamenta acquisititia haud secus q̃ naturalia pulsus immutant. Exercitationes principio quidem quo ad mediocritatem peruenerint, pulsus efficiunt uehementiores, magnos, celeres, ac frequentes. Si quis multum supra uires laboret, paruos pulsus, languidos, celeres, & frequentißimos habet: sin modo plurimum excesserit & uires sint exolutæ, paruos admodum ac languidos, tardos ac raros pulsus habebit, idq́; ad proportionem exolutionis seu dissolutionis.

Balnea quales efficiant effectus.

Balneorum insuper quæ calida sunt, quam diu erunt temperata ac moderata, magnos, celeres, frequentes ac uehementes pulsus efficient: si uerò modũ excesserint, paruos ac languidos, & præterea celeres ac frequentes. quod si ibi non cessetur, paruos, tardos, raros, ac languidos pulsus efficient. Quæ autem balnea frigida sunt repente quidem paruos, tardos, ac raros pulsus edent. Quod si frigore stuporem induxerint, paruos, languidos, tardos, & raros: contra uerò quæ calorem ac robur induxerint, magnos quidem ac uehementes: celeritate tamen ac frequentia moderatos efficient.

Edulia quales pulsus efficiãt.

Edulia multa sic ut uires grauent, pulsus reddunt inæquales & inordinatos: pauciora uerò sic ut minus quàm par est nutriant, minorem moderatis pulsum efficiunt. Vinum ciborum instar pulsus immutat,

mutat, sed magis repente, desinitq; citius: Celeritatem magis auget, & magnitudinem, quàm uehementiam ac frequentiam. Aqua omnium quæ sumuntur mutationem minimam efficit, nutrit tamen ad proportionem ciborum. Ab ira pulsus fit magnus, uehemens, altus, celer ac frequens. A uoluptate, magnus, rarus, non tamen uehementia diuersus. A mœstitia, paruus tardus, languidus ac rarus. A metu recenti ac uehementi, celer, turbulentus, inordinatus atq; inæqualis: inueterato autem, pulsui à mœstitia est similis. Omnibus his si diu perseuerauerint, aut uehementes admodum fuerint, ijs quales solutas uires denunciare solent, erunt similes. soluunt enim hæc omnia uires celeriter quidem si sint ualida: serius si imbecilla. Dolor qui pulsus immutat, id quidem aut quia uehemens est, aut quia partibus principibus inest, cuiusmodi est inflammatio. Et cum paruus adhuc est dolor, atq; exoritur, maiorem, uehemētiorem, celeriorem frequentiorem pulsum efficit: auctus uerò uehemensq; admodum factus, sic ut iam robori uitali noxam inferat, minorem, languidiorem, celerem ac frequentem: & quo diuturnior fuerit aut uehementior, eò magis intenditur. Sed qui iam uires dissoluit, pulsus immutat in languorem, paruitatem ac falsam celeritatis imaginem, immensamq; frequentiam. Omnis inflammationis pulsus quidem communis est quasi serratilis, ut pars

Pulsus ex affectibus.

Pulsus ex inflammatione.

arteriæ alia delatari uideatur, alia autem minimè, quæ uidelicet durior sentitur. habet autem pulsus hic & turbationis nonnihil: præterea celer est ac frequens: magnus autem non semper: incipientibus maior, uehementior ac frequentior est naturali: cũ uerò increscit, omnia hic fiunt auctiora pulsusq; est durior ac turbulentior: in uigore autem seu statu durior, turbulentior, sed durior quàm ante, nõ tamẽ languidior, nisi morbus uires superauerit, & tunc frequentior ac celerior. Partes quæ magis sunt neruosæ hæ duriores (quæ pulsus efficiũt serratiles) ac magis duriores: partes uerò uenosæ & arteriosæ contrarios his ipsis: Estq; maior in partib. magis arteriosis pulsus, qui inæqualis atq; inordinatus efficitur. Perspicuũ igitur iam est, qualis esse debeat pulsus eorum quibus hepar est inflammatum, et eorũ quibus lien, renes, uesica, uentriculus, intestinum colon: præterea pleuriticorũ, perineumonicorum, & ut summatim dicam omniũ quorum inflammationem partis febris consequitur. Attamen quibus phrenes sunt inflammatæ, celeriter conuellũtur. Suffocantur quibus pulmones syncope præhendũtur, quibus os uentriculi laborat atrophia, quibus non coquit uentriculus & hepar, aut urinæ supprimuntur, quibus etiam renes sunt inflammati.

Pulsus pleuriticorum. Pleuriticorum pulsus celer est ac frequens atq; uehemens. Plenius in lib. de dignotione pulsuum Galenus scripsit.

ſcripſit. Interea ubi pleuritis tranſit in perineumoniam, pulſus excedit, & ſyncopen minatur. Atq; purulentorum nuper incipientium talis eſt pulſus, qualis uigentis inflammationis, & nonnunq̃ inæqualis et inordinatus exiſtit. Cum autem pus inſtat, uehementior eſt æquali: poſtquam uerò eſt ruptum, languidior, tardior ac rarior. In hectica febri & maraſmo pulſus non ſimpliciter neq; ſecundum unam ſpeciem mutatur. Phthiſicorum pulſus paruus, languidus, mollis, celer, mediocriter hecticus. Perineumonicorum magnus & aliquantum fluctuoſus, languidus, ac mollis, non aliter quàm in lethargo, niſi inæqualitate ſuperaret. Omnes perineumonici febre acuta corripiuntur, aut graui ſopore: Græci κῶμα uocāt, illo modo inflammatio et admodum frequens eſt pulſus: hoc uerò infrequentior. Lethargicorum pulſus cum ſit magnitudine, languore & mollitie perineumonicorū pulſui ſimilis, eodem tamē tardior, languidior, minus inæqualis ac deficiens, magis quàm intercidens. Phreniticorum pulſus paruus eſt, durus ac neruoſus, frequens et ualde celer, nōnunq̃ ſubtremiſcens, atq; magna ipſius frequētia ſyncopē minatur. In catalepſi pulſus à Lethargo, ſpecie non multū diſcrepat, nō tamē ſunt imbecilli aut molles, atq; in lethargo, inæqualis eſt: in catoche uero ſeu catalepſi æqualis. In cōuulſiōe pulſus eſt inæqualis nullū diaſtoles aut ſyſtoles indiciū

habens,


habens, apparet tamen uehemens ac magnus magis quàm sit. In Paralysi pulsus paruus, languidus, tardus, & quibusdam rarus, alijs frequens: interdum deficiens, inordinatus. Epilepticorum & apoplepticorum pulsus sunt similes: in his tamen intensiores. Orthopnææ acutæ, pulsus est inæqualis, inordinatus, ac penè deficiens cum maligna frequentia; cum ad ultimum uergit tardus, ac deficiens: cum uerò hominem è medio tollit, frequens ac languidus. Suffocationis matricis pulsus est conuulsoriæ extensæ, ac rarus: eius uerò quæ est exitialis, frequens ac languidus, inordinatus ac penè deficiens. Stomachi affectus nō secundum unam speciem pulsum immutat, sed inflammatione eam duntaxat mutationem facit, cuiusmodi in inflammatione corporis neruosi: si uero compressus fuerit aut morsus aut singultiens uel exolutus, uel uomituriens, nauseabundus aut imbecillus appetitúue careat, aut doloribus multis sit obnoxius, pulsum mutat secundum symptomatis speciem. Morsus enim ac uomitus nausea, singultus, appetitus, priuationes atq; dissolutiones, præterquàm quod pulsum paruum efficiunt ac languidum, ipsum etiam reddunt admodū frequentem, & in quibusdam moderatè celeriorem. Compreßio autem sola extra hæc omnia, rarum, tardum, paruum et obscurum reddit. hic affectus accidit à cibis ipsum uentriculū grauantibus sola quantitate

Pulsus stomachi affecti.

tum

tum humoribus quibusdam in ipsum confluentibus. quod si ab ipsis refrigeretur, tunc maximè huiusmodi pulsus accidet: similiter & quibus magna est fames quam Græci βουλιμίαν appellant. Hydropum pulsus in ascite quidem longus ac frequens et subdurus cũ quadam tensione: in tympanite uerò longior, non imbecillus, celerior, frequens, subdurus cum quadam tensione. In anasarca, fluctuosus latior ac mollis. Elephantiasis pulsus, paruus, imbecillus, tardus ac frequens. Ictericorum pulsus sine febre, minor, frequentior, durior non languidus neq; celer. Eorũ qui Eloborum sumpserunt paulo quidem antequam uomãt, quando scilicet premuntur, pulsus est latus, rarus, languidior ac tardior: cum uomunt ac conuelluntur inæqualis & inordinatus: cum meliuscule iam habẽt ordinatus quidem sed adhuc inæqualis uerum minus quàm antea. Qui syncope corripiuntur, conuelluntur, ac singultiunt: ijs pulsus paruus, languidus, inordinatus, celerior, & admodum frequens. Pulsuum igitur omnium causam, usum et differentiam scire oportet ut qui uitalis facultatis robur indicent, atq; differentias ipsorum indicabit tabella sequens.

In pulsu


In pulſu cōtinentur.
Cauſa.
Naturalis.
Sexus, Aetas.
Temperamentum.
Anni tempus.
Regio.
Non naturalis.
Aer, Alimentum.
Exercitium.
Repletio, inanitio.
Animi affectus.
Præter naturā.
Morbus.
Cauſa.
Symptoma.
Vſus.
Diaſtole
Syſtole.
Differentia.
Quantitate.
Diſtentionis.
Magnus.
Mediocris.
Paruus.
Tēporis quietis
Creber.
Mediocris.
Rarus.
Qualitate.
Motus.
Celer.
Mediocris.
Tardus.
Virtutis.
Vehemens.
Mediocris, Debilis.
Arteriæ.
Mollis.
Mediocris, Durus.

Hæc de σημειωτικῆ medicæ artis parte quæ ſigna docet ſufficere iudicamus. atq; ubi paucula de methodo in curandis morbis obſeruanda adiunxerimus, non multum ultra opus hoc noſtrum producemus. Non enim (quod aliqui faciunt) præcepta ſeu theoremata artis & medicamenta ſiue ſimplicia fuerint ſiue compoſita, eodem uolumine tanquam uaſculo cõprehendi contineriq; uolui. quin potius aliquando, diuinæ maieſtatis ope adiutus, de ipſis aliquid in medium adferam.

DE METHODO IN CVRANDIS morbis obſeruanda. CAP. VIII.

METHODVM, qua progrediendum ſit in morbis curandis ante aliquot annos edidimus, itaq; perfunctoriè tantum hic admonebo quæ conſideranda priusq̃ ægrotantium curã quis ſuſcipiat. idq; iuxta Hippocratis medicorũ omnium præſtantiſsimi tradita. Principio inquit conſiderandum unde morbi fiant ac generentur: deinde longine ſint an breues, lethales an non lethales, & in qua corporis parte ſedem habeant. Etenim læſo cerebro, ſpinali medulla, hepate, diaphragmate, ueſica, uena caua, aut corde ipſo mors eſt: ſic in muliere grauida perineumonia, febris ardens, pleuritis, phrenitis, aut deniq; eryſipelas in matrice.

Neceſ-

Necessario quoq; enecat phthisis, hydrops carnosa, in quibus iam facti morbi fuerint. Cæteri interdum mortales, & interdum non. Est quoq; considerandũ ne quid intempestiue fiat aut dicatur, & contra quæ exquisitè & secundum artem fiant & dicantur.

Cogitandum etiam num manu artificiosa an medicamentis fieri debeat curatio. Inspiciendum & corpus num calidum, frigidum, humidum, siccum: robustum uel imbecille, densum, rarum. Et quæ tardè, citò, recte aut non rectè succedant: & an ex malo aliud sequatur, interdum enim morbi degenerant, ut pleuritis in perineumoniam, tenesmus in dysenteriam, dysenteria in lienteriam, lienteria in hydropen, perineumonia & pleuritis, in empyema. Consideranda etiam tempora, nam intempestiue quidem fit cum quis morbus qui manè curari debebat, si meridie uel alia quadam parte diei curetur, uel ediuersò, aut uere si æstate, & sic de reliquis tempestatibus. Aut si quod præsentem curationem postulet in aliud tempus differatur aut contra, & an methodo certa aut aliter, atq; possibile num sit uel impoßibile, quod ex arte suscipitur. Etenim febricitanti uentriculus exiccatus, uel læsus malum. Contra uerò multum turbatus in hydropicis, spleniticis & leucophlegmatia laborantibus. Erysipelas si in exterioribus corporis partibus hærens ad internas se receperit, malum. Vomitus ei qui uen=

qui uentris fluxu laborat utilis est. Mulieri etiam sanguinē euomenti fluxus menstruorū superueniens optima fit reuulsio. Hæc & similia memoria tenere oportet artem medicam quicunq; cupiat exercere. atque illa ratio qua morbi curantur (Græcis θεραπευτικὴ est nuncupata,) nō nisi rerum contrariarum usu acquiritur. Vnde morbos suo contrario tolli axioma est medicorum uniuersale. Est quoq; rogandus qui ægrotat si quando purgatus fuerit, qua forma medicamēti magis delectetur: potionibus, electuarijs, catapotijs: & qua saporum differentia. nam aliqui acidis, austeris, salsis, amaris: alij dulcibus uti malunt. Videndum tamen ne sapor augeat affectum: siquidē sapores salsi, acres, amari, in affectibus multum calidis non conuenirent. sicuti nec acerbi, austeri, acidi, in frigidis: tametsi Hippocrates cibum aut potum deteriorem, sed suauiorem, meliori sed ingrato præferat. Quantitas & qualitas eorum quæ assumuntur, ex affectus essentia, magnitudine, anni parte, regione, loco affecto, medicamentorum facultate ualida uel languida, aëris temperie, metiri debet. Affectus enim paruus, recens, superficiarius, facilè curatur: ob id pauciora ac mitiora remedia postulat, morbo contraria. E diuerso affectus magnus & inueteratus, profundus, & proinde curatu difficilis, ualidiora requirit: Quod si affectus natura contrarij, com-

Aph. XXXVIII. lib. ij.

plicati fuerint, ut hydrops cum febre, ei qui magis urget prima curatio atq; maior remediorum uis adhibenda, non neglecto tamen altero. Sic ubi causa & morbi diuersæ sunt naturæ, ut pituita, frigida, et humida causa, febris quotidianæ calidæ & siccæ dispositionis; urgentiori maior est habenda ratio, nempe pituitæ: per attenuantia, incidentia, tergentia, concoquẽtia, et phlegmogoga, eius generationẽ prohibentia: febris per refrigerantia, humectantia, putredinem pellentia. Si æque polleant, eademq; postulent causa et morbus maior ratio causæ habenda, ut quæ primo loco tolli debeat. Si temperaturæ partis affectæ & corporis totius est eadem, tum qualitas et uis medicamenti maior parti debetur: ob id sicca magis adhibemus ulceri partis naturæ siccæ, uel si totum etiã corpus fuerit siccum: Contra uerò in parte præhumida, aut toto corpori humefacto, simile ulcus minus sicandum. si corpus humidum sit & pars sicca, miscenda cum siccis humida, uel humido & sicco temperata simplicia, sumpta indicatione ex siccitate quam ulcus naturaliter postulat: eaq; maiore tamen in parte natura humidiori. quod si ulcus malignum & putridũ fuerit, acribus egent et ignis modo exedẽtibus, ueluti mysi, chalciti, arsenico, calce, sandaracha. Sed ubi ulcus est cũ phlegmone quæ hanc curant refrigerantia, ulcus mordent & insupurabile reddunt: quæ uerò

ulcus

ulcus tergent & ſiccant, phlegmonem exaſperant. Componendum igitur medicamentũ, in quo utriuſq; habeatur ratio: maior tamen phlegmone, citra cuius ablationem ulcus non poteſt curari. Idem ſtatuendũ ubi cauſa adhuc præſens in corpore, & ipſe affectus naturæ ſunt diuerſæ, ut in quotidianis & quartanis febribus cauſa eſt materia frigida, morbus uerò calidus.

Duo igitur ſunt morborum genera, quæ non niſi methodo curantur, alterum in intemperie: alterum in continui ſolutione de hoc Galenus lib. tertio, quarto, quinto, et ſexto methodi: Poſtea de his quæ in intemperie conſiſtunt, uſq; ad decimumtertium, in quo de humoribus præter naturam diſſerit.

Tempus etiam tum in alimentis, tum medicamentis exhibendis eligendum mitius. Et ubi morbus continuus fuerit, quo tempore minus affligere ſolet, eo nutriendum & medicandum. Itaq; in febribus intermittentibus die intermiſſionis, medicamentum purgans debet exhiberi. Conſiderandæ quæ præceſſerunt, uel adſunt, uel impendent ſpontaneæ uel noſtræ uacuationes. Et cum natura integrè ac perfectè per Cryſim non uacuauit, uel non uacuat materiam quæ offendit: tunc medicamentis purgantibus, uel alijs (ne quod relinquitur morbum faciat) utendum. adhæc ſi natura deprauatè

moueat excrementa, ueluti ad pulmones, thoracem, cor, uel aliam partem principem, hunc naturæ motum perhibebimus, & ad contraria transferemus. Motus deprauatus est quoties ante coctionem simptomaticè euacuat. quemadmodum etiam iuxta Crysim, quando immodicè mouet quo tempore motus ipse inhibendus, reuulsione facta per contrarium.

Sumpto medicamento purgante corpus mouendum Galenus suadet, ut Pharmacum ad inferiorem uentriculi partem descendat. quod si medicamentum fortißimum uideatur, ordei cremor iuxta Hippocratem, erit sorbendus: ut si ori & orificio uentriculi adhæserit, tergeat & medicamenti ingratum saporem tollat. Vbi autem fieri cœperit purgatio, ptissanam minimè concedit, ne uis medicamenti exoluatur. Nos tribus horis aut circiter à medicamento purgante præsumpto, iusculum pulli gallinacei nondum cocti, aut cicerum rubrorũ aut hordei absq; sale, & ullo obsonio, per horam aut mediam ante ciborum assumptionem, solemus exhibere. Quod si medicamentum non egerit, ob portionẽ exiguam uel imbecillitatem, aut ægrotantis naturam siccam uel retenta excrementa, ænema uel balanum inijciatur, & inunctionibus lenientibus uenter inferior oblinia tur, utaturq; cibis humectandi uim habentibus. Philotinus & Praxagoras (sicuti Galenus refert) succorum

corum copiam è uentriculo & primis uenis uomitu uacuabant, præsumpta largiori mulsa, cui incoctum fuerit Hisopum, uel etiam simplicia quædam, alia simili facultate prædita. Vomitum impediunt hyems, capitis dolor, phthisis, phlegmone uentriculi, & partium uicinarum. Et dum quis ægrè uomit cogendus non est, aut uictu humectante paulatim ad uomendum (ut docet Hippocrates) parandus. Vomitu etiam purgatio fit post cibum, non quemuis, sed salsum, amarum, acrem seu incidentem, tergentem. Qui thorace sunt angusto, unde etiam pulmo contrahitur, ad uomendum apti non sunt. Astringentibus principio assumptis aluum cohiberi, post cibum uerò ingesta eam solui Galenus docet. Purgationes ueluti & phlebotomiæ ad morborum fiunt consuetorum & impendentium: sicuti Vere ineunte, ut à Vernis uel Aestiuis morbis sit liber: & Autumno, ut denitet Autumnales & Hyemales. Eadem ratione in spontanea laßitudine, plethoricis, & morborum reliquijs. Sani alias purgari non debent, quia inde uertigines ac tormina succedunt, celeriterqúe exoluuntur. Phlegmonis initio sola repellentibus: Augmento miscenda concoquentibus: Statu digerētibus, et his solis in declinatione utendū. Eadem ratione in reliquis morbis ex fluxione prodeuntibus, nisi fluxio eruperit in partem aliquam principem, ut est cere-

Vomitum quæ impediant.

Lib. VI. sanit. tuend. & ij, aliment.

brum, cor, hepar: aut nisi materia fuerit uenenosa & pestilens, aut crassa, glutinosa, impacta, profunda: ut in pleuritide, schiade, ubi anodinis per initia utimur: postea uerò concoquentibus & digerentibus, totius corporis ratione præhabita, si purgatione egere uideatur. Potiones purgantes dũ morbus dat inducias, tẽpore matutino: Catapotia, magna ex parte media nocte, maximè quæ scamoneam recipiunt, aut post primum somnum: interdum duabus horis ante cœnam si leuiores sint & dosi media. idq́; in defluxionibus ad diuertendum. Sed cum uentriculum, intestina, & uenas meseraicas purgare libet, etiam hora una ante uel post sumptum cibũ leuiora quædam cathartica exhibemus, ut catapotia, ruffi, masticbina, assaiaret, ex aloe, (quas ante cibum etiam nominant) aut caßiam nigram. Quibus hepar calidius est, ijs hora una ante purgantis medicamenti usum, ptisanæ uel alterius similiter refrigerantis & humectantis ad uncias octo, aut aliquid ultra propinabimus. præsertim aëre calido: aut ante cœnam, uel horis duabus tribusúe à cœna. Idem quoq; facimus hepate iam per alimentum temperato. In frigidis regionibus & corporibus natura pituitosis, inexpleta ingluuie, à purgantibus scammoneatis in uentriculo externa cœna uacuo, non timemus. quod in eo adhuc pituita fluctuet atq; hæreat, sed iuscula celerius post scam-

moneatis

moneatis (quæ non multo post uacuant) sorbenda, ut citius fiat deiectio & noxa eluatur. Rhabarbarum non ita citò è corpore pelli debet, nam uisceribus etiam sua ui astringente prodest: Vbi autem morbi uiolentia ex improuiso urget, quocunque tempore, modo uires ferant, medicamentum etiam uehemens potest exhiberi. quandoquidem extremis morbis extrema exquisitè remedia optima esse Hippocrates iudicauit. Aph. VI. lib. I.

Sub cane & ante canem, seu in temporibus multum calidis frigidisue, à medicamentis fortibus & phlebotomia, quæ calorem natiuum imminuit & extinguit abstinendum, nisi maximè urgeat necessitas: & tunc noctu potius quàm die, aut locis humana industria refrigeratis. Sunt igitur non solum partes anni quatuor considerandæ & obseruandæ, uerumetiam diei pars matutina, meridiana, uespertina, nocturna: antè cibum, uel post, & similia. Ad tempus etiam referri potest affectus prior curandus, qui est causa alterius. ut si fluxio à capite in oculos defluat, caput primo purgandum, deinde oculorum infirmitati prospiciendum. Sic & dum præcauemus ne morbi generentur, ubi tamen minor remediorum quantitas requiritur. Cæterum hepar ab obstructione præcauent & obstructum liberant, incidentia, tenu-

antia, abstergentia, uacuantia, mane præsumpta. Extrinsecus etiam adhibentur linimenta, unguenta. Densitas per ea quæ rarefaciunt, ueluti tenuitas incrassantibus, ad symmetriam reducitur. Abundantia euacuantibus & craßitudo dissecantibus, sicuti lentor ijs quæ detergent curatur. atq; totum corpus aut pars uno affectuum, aut pluribus si afficiatur, per contraria succurrendum. In morborum curationibus ubi periculum non impendet, à leuioribus incipiendum, quæ si non sufficiant nullouе modo iuuent, ad fortiora progrediendum: consideratis uiribus, aëris temperie, ætate, anni parte, cœli statu, sensu exacto, uel obluso, et id genus. Imbecilla quoq; remedia debilibus, sicuti fortia robustioribus exhibenda. Sœpe tamen uires copia grauatæ falsam imbecillitatis suspicionem præbent, & tunc ualentiora ferre possunt. Pueri & senes fortia non ferunt, illi siquidem calidi & humidi cum sint, per insensibilem transpirationem copiosè uacuantur: hi uerò frigidi sunt, unde parum robusti.

DE PONDERIBVS. CAP. IX.

HVC spectant quæ de ponderibus & mensuris frequentiori usu habentur, ut est libra et eius partes, utpote semilibra, triens, quadrans, quincunx, sextunx, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx.

deunx. Deinde *uncia, semiuncia, drachma, scrupulus, & quæ sub ipsis sunt, ut schema sequens indicabit.*

Libra medica constat,

- *Vnciis duodecim: Vncia autem.*
  - *Drachmis* 8.
  - *Seu denarijs* 7
  - *Aureo.* 1. *idest drac. & med.*
  - *Obulis* 48.
- *Drachmis nonaginta sex: drachma uerò*
  - *Scrupulis* 3.
  - *Obolis* 6.
  - *Lupinis* 9.
  - *Siliquis* 18.
  - *Aereolis* 36.
  - *Granis* 60.
  - *Lentib. sem* 36.
- *Scrupulis uigintiquatuor:*
  - *Obolis duobus.*
- *Scrupulus autem.*
  - *Lupinis trib.*
  - *Granis* 20.

Hemina { *Quartarios duos: seu uncias dedecem, siue acetabula quatuor.*
Sextar. { *Heminas tres & liquidorũ duas.*
Congius { *Sextarios sex.*
Cyathus { *Sextarij partem duodecimam.*
} *Conti=*

Sextula.	Scrupulos quatuor.	net.
Siciliquus.	Quartam partem unciæ, id est drachmas duas.	

Ex Arabibus notæ sunt.	Aureus.	Sesquidrachmam.	Comprehendit.
	Kist.	Vncias uiginti.	
	Dauich.	Grana sex.	
	Kirach.	Grana tria.	

Partes libræ sunt: uncia, semiuncia, trien, quadrans, quincunx sexstunx, septunx, Bes, dodrans, dexstans, deunx. quibus addi potest sescuncia, id est, uncia & dimidia.

Atq; indifferenter tum siccis tum humidis rebus, Heminã, Sixtarium, Acetabulum, Cyathũ, diximus: quemadmodum Iacobus Syluius, uir in Medicina nostra & ætate doctißimus obseruauit. Sed nunc de signis cœlestibus & Planetis quibus inferiora hactenus regi creduntur, paucula adijciamus.

DE SIGNIS COELESTIBVS ET planetis. CAP. X.

DISTINXERVNT Astrologi globum cœlestem in partes duodecim, quas ipsi domos cœli appellarunt: Quarum sex semper supra Horizonta apparent: aliæ uerò sex sub Horizonte

zonte occultantur. & his domibus attribuuntur singulatim membra corporis humani : ut in sequenti schemate apparebit.

Messahala morbos curare incipit, Luna existente in signo membrum respiciente.

Signa igitur sunt duodecim.

Signa		Membra
Aries calidum & siccum.	respicit	Caput
Taurus frigidum et siccum.		Collū.
Gemini calidum & humidum temperatè.		Humeros.
Cancer frigidum & humidum temperatè.		Pectus
Leo calidum et siccū excesiuè		Cor.
Virgo frigidum & siccum minus temperatè.		Ventrem.
Libra, calidum et humidū intemperatè.		Renes
Scorpio, frigidum & humidū à temperamento recedens.		Pudenda.
Sagittarius, calidum et siccum ab omni temperamento remotum.		Fœmora.
Capricornus, frigidum & siccum distemperatè.		Genua
Aquarius, calido & humido excedens.		Crura.
Pisces, frigidum & humidum excesiuè.		Pedes.

Cum suis partibus & morbis.

Planetæ sunt ſeptem.	Habet domũ in
Sol.	Leone.
Luna.	Cancro.
Mars.	Ariete, Scorpione.
Mercurius.	Geminis, Virgine.
Iupiter.	Sagit. Piſcib.
Venus.	Tauro, Libra.
Saturnus.	Capric. Aqua.

Inter ipſos Planetas amicitia quædã qualitatibus iiſdem eſſe dicitur, ſeu inimicitia diuerſis: unde boni uel mali aſpectus.

Hactenus eam medicæ artis partem ſum proſequutus, quæ neceſſario præponi præmeditariq; debet, antequam ægrotantibus medeamur. Fieri enim non poteſt, ut quis recte præter naturam affectiones tollat, quas prius non nouerit, itaq; praxim in adeundis periculis non (ut exiſtimo) infœlicem editurus cũ ſim, malui prius in pauca redigere quæ prænouiſſe oporteat. quare boni conſulat etiã quiſquis maiora poteſt.

FINIS.

ERRATA.

PRIMVS NVMERVS PAGINAM *secundus uerò lineam indicat.*

Pag. 10. Lin. 3. *autem*. Ibid. lin. 14. *crearet*. pag. 15. l. 15. *apes*. Ibid. l. 23. *institutas*. p. 21. l. 10. *statim*. Ibid. l. 21. *particulas*. p. 23. l. 23. *demoliri*. p. 25. l. 18. *acri*. p. 32. l. 12. *excernendi*. Ibid. l. 24. *arcem*. p. 34. l. 17. *trahunt abundantia*. Ibid. *adustione*. p. 39. l. 11. *Quid*. p. 45. l. 6. *phragma*. p. 47. l. 2. *columna*. p. 48. l. 23. *uentriculi*. p. 50. l. 1. *meningas*. Ibid. l. 3. *sensorij*. Ibid. l. 12. *quidem*. p. 53. l. 10. *facilimè* p. 58. l. 2 *aorta*. p. 60. l. 22. *unde*. p. 62. l. 1. *desumunt*. Ibid. l. 19. *cum etiam*. p. 64. l. 7. *pro, atq;, legendum estq;: & expungatur est, subinde sequens*. p. 66. l. 16. *facile*. p. 68. l. 14. *sensu*. p. 78. l. 16. *chronico*. p. 81. l. 17. *quorum usu*. p. 84. l. 19. *quiescentia excitat*. p. 94. l. 15. *ocyßimè*. p. 96. l. 13. *accumulantur*. p. 79. l. 24. *plenitudinis species*. p. 98. l. 4. *palida*. p. 102. l. 9. *reliquus*. p. 104. l. 8. *febres synochæ*. p. 111. l. 23. *febrium* p. 112. l. 4. *qua aperta*. p. 116. l. 25. *comminuunt*. p. 123. l. 1. *incendio*. p. 123. l. 19. *interpellabit*. p. 125. l. 1. *difficile*. p. 127. l. 8. *Venæ*. p. 136. l. 13. *spermatis*. p. 138. l. 7. *marasmus*. p. 146. l. 20. *inductis antequam frictione ad æqualitatem*. p. 147. l. 15. *habere*. Ibid. l. 17. *eorum pro eius*. p. 148. l. 23. *collocant*. p. 150. l. 5. *ructus*. Ibid. l. 11. *saliua*. p. 158. l. 24. *distentionem* p. 159. l. 24. *oppositionibus*. p. 162. l. 22. *iudicantur*

p. 17

p.170.l.5.uenas.p.171.l.16.quadam.p.174.l.12.febrium.p.175.l.16.aqueæ.p.177.l.14.uel cõtra, expungatur.p.183.l.4.generatur.p.188.l.2.conuersos.Ibid.l.24.Priuatim.p.195.l.17.nuncupatur p.196.l.10.fœtidus.p.199.l.4.costas.p.202.l.18. σφηγκτῆρ.p.204.l.4.quæ expungatur.p.212.l.1.soleat.p.216.l.1.præcipuè.

Si quæ adhuc desiderentur, uel in distinctionibus, per se quis facile aduertet.

